Contents: –

N A T I

I E S V C H R I S T I

S O L E M N I A

I N D I C I T

ACADEMIA IENENSIS.

Obseruationes ad versus postremos capitis XIII prioris Pauli ad Corinthios epistolae recte intelligendos

auctore

HENRICO AVGVSTO SCHOTT
THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.

C.
I E N A E,
PROSTAT IN LIBRARIA CROEKERIA.
MDCCCXXII.

DEI GRATIA

CAROLVS AVGVSTVS

MAGNVS DVX SAXONIAE

VIMARIENSIVM ET ISENACENSIVM PRINCEPS, LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, COMES PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE, DOMINVS BLANKENHAYNII, NEOSTADII ET TAVTENBVRGII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS

EOSQVE ANIMO PATERNO EXHORTATVR

VT

HIS DIEBVS FESTIS

MEMORIAE NATI IESV CHRISTI RECOLENDAE SACRIS

RITE CELEBRANDIS

VERAM ANIMI PIETATEM

NVTRIANT ATQVE CONFIRMENT.

Sub finem ſectionis praeſtantiſſimae capitis decimi tertii epiſtolae Pauli prioris ad Corinthios, qua Paulus animos Corinthiorum ad veram indolem, efficaciam, dignitatem amoris Chriſtiani (αγαπης) recte aeſtumandam conuertit, cuiuis interpreti, de verbis ſcripturae diuinae accurate et perſpicue explicandis ſollicito, difficultates obueniunt ex breuitate ſermonis Paulini oriundae. Poſtea quam Apoſtolus capite 12. de donis Spiritus diuini extraordinariis (dono γλωσσων, prophetia, interpretandi facultate, et aliis) de vſu eorum recto, qui fieri debeat ad ſalutem veram eccleſiae Chriſtianae promouendam, de pretio eorum probe diiudicando diſputauerat, ſuisque lectoribus verſu extremo promiſerat, ſe viam tutiſſimam iis monſtraturum eſſe, quae omnibus ineunda ſit, vt hac in re nec iudicando nec faciendo a ſenſu vere Chriſtiano aberrent; huic promiſſo capite decimo tertio ita ſatisfecit, vt primum Corinthiis adfirmaret, nec vlla Spiritus diuini dona ſingularia, nec facta, quae ſpeciem prae ſe ferant virtutis eximiae, dignitatem veram habere, ſi amore (beneuolentia ſincera) deſtituantur (v. 1. 2. 3.), vt deinde rationem deſcriberet, qua amor verus Chriſtianus vim ſuam et efficaciam exſerere ſoleat (v. 4—7.), denique, vt oſtenderet, amorem perennitate ſua ceteris omnibus praeſtare (v. 8. ſeqq.) *Amor*, inquit v. 8. ſeqq. *nunquam euaneſcet; contra, ſiue vaticinentur, ea facultas ceſſabit, ſive dono linguarum vtantur, eae deſinent, ſiue cognitione perfectiori gaudeant, ea ceſſabit. Etenim ſinguli* (*nonnulli tantum*) [1])

1) Phraſis εκ μερους pariter ac formula ſimilis απο μερους haud raro vim habet diſtributiuam: ſinguli, diuerſi. 1 Corinthh. 12, 27. 2 Corr. 1, 13. Romm. 11, 25. Quod plurimi ſectionis noſtrae interpretes verba: εκ μερους γαρ γινωσκομεν etc. verterunt: quodammodo tantum (quo ſenſu απο μερους 2 Corinthh. 2, 5. occurrit) i. e. inperfecte cognoſcimus etc. mihi quidem, nexu orationis iterum iterumque perluſtrato, non amplius probatur. Audimus quippe Apoſtolum v. 8. 9. ſatis perſpicue docentem, chariſmata illa (γλωσ-

nostrum cognitionem habent perfectiorem, singuli vaticinantur. Quando autem conditio exstiterit perfectior, cessabit, quod singulorum est. Sequuntur versus postremi, conditionem inperfectam cum statu magis perfecto amplius comparantes, cognitionis potissimum ratione habita, iterumque perennitatem et amoris, et spei ac fidei, summamque amoris praestantiam adfirmantes, in quibus explicandis de sensu formulae (v. 12.), τοτε δε επιγνωσομαι καθως και επεγνωσθην, de caussa, quae Paulum mouerit, vt amorem primas tenere diceret (v. 13.) de ipso statu illo perfectiori verbis Paulinis adumbrato (vel ad incrementa huius, quae in terris est, ecclesiae Christianae, vel ad vitam futuram referendo) diuersimode disputatum est.

Sollenne est Paulo, aliquid enuntiaturo, quod de hominibus vniuerse valet, eiusmodi indolem et conditionem naturae humanae suo ipsius exemplo adumbrare. Cfr. interpr. ad Romm. 7, 7 ff. Eundem loquendi morem hoc loco tenet, conditionem, quam innuit, minus perfectam cum infantia hominis et pueritia, statum perfectiorem cum aetate virili comparans v. 11. Ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν, ὡς νήπιος ἐφρόνουν, ὡς νήπιος ἐλογιζόμην· ὅτε δὲ γέγονα ἀνὴρ, κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου. *Dum puer eram, more pueri loquebar, more pueri sentiebam, more pueri iudicabam; at, postquam vir factus sum, puerilia illa cessare iussi.* Aetatem puerilem voce νηπιος describi (Matth. 21, 16. ad Galatas 4, 1.) sponte patet, quum ανδρι opponatur. Verba autem Φρονειν et λογιζεσθαι haud dubie ita differunt, vt illud quidem adfectus, studia, voluntatem (Matth. 16, 23. ad Romm. 8, 5. 12, 16. 2 Corr. 13, 11.) hoc eam mentis efficaciam, quae notionibus formandis, iudicando, et concludendo sese exserit, innuat (ad Romm. 2, 3. 3, 28. 2 Corr. 3, 5.) De vsu verbi καταργειν, rem quandam vi sua et auctoritate priuare, destruere, siue efficere, vt prorsus desinat, cfr. ad Romm. 3, 31. 6, 6. ex nostro capite v. 8. 10. Alius est sermo, alia studia, alii rerum conceptus pueris,

---

σας, prophetiam, γνωσιν) aliquando finem esse habitura, amorem nunquam cessaturum. Quodsi verba versus noni, qui huius rei caussam et rationem continet, sic intelliguntur: nam inperfecta est et cognitio nostra subtilior, et prophetia, omnino non patet, quomodo exinde, quod haec χαρισματα hoc tempore inperfecta sunt, sequatur, ea olim finem esse habitura. Quamuis enim ipse amor Christianus, qualem *in terra* exercemus, non possit perfectus praedicari, adfirmat tamen Paulus (v. 8. 13.) amorem perennem fore ac perpetuum. Immo sententia Pauli haec fuit: charismata illa aliquando cessabunt, siquidem (v. 10.) olim omnia desinent, quae hoc tempore singulos tantum insigniunt Christianos, transitura olim in aliquid perfectius et praestantius, quod omnes Christiani veri habeant.

alia haec viris. Comparationem ipſam, cuius vſum ſuo conſilio accommodatum Paulus h. l. fecerit, ſatis frequentem eſſe, Wolfius in curis et Wettſtenius in comment. ad h. l. exemplis pluribus laudandis docuerunt. Haud dubie Apoſtolus de ea potiſſimum vtriusque aetatis diuerſitate cogitauit, quae in cognoſcendo cernitur. Pergit enim v. 12. βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. Subſtantiuum εσοπτρον, ſi vſum loquendi certum et exploratum ſequimur, non poteſt niſi de *ſpeculo* intelligi, quod viſum reflectit (*Spiegel*). Cfr. epiſt. Iacobi c. 1, v. 23. liber Sapient. c. 7, v. 26. Sed hanc interpretationem, antiquioribus vulgo probatam, poſt Lambertum Boſium (cfr. exercitationes eius philolog. p. 147.) plurimi deſeruerunt, malueruntque *ſpeculare* intelligi, i. e. quadram vel ex cornu, vel ex lapide pellucido, qui lapis dicebatur ſpecularis [a]) confectam, cuius ope apud veteres lumen in coenacula inferebatur, et ſol in aedes admittebatur, quod noſtra aetate per feneſtras vitreas fieri ſolet. Exiſtimant quippe, metaphoram ſpeculi non ſatis apte adhiberi potuiſſe ad eiusmodi cognitionem, quae manca ſit et inperfecta, exprimendam, quum ſpecula bona imagines rerum, quae in his apparent, ſatis lucidas et diſtinctas exhibere ſoleant, immo conſilium Pauli ſimilitudinem efflagitaſſe a ſpecularibus deſumtam, quippe quae ita comparata eſſent, vt res extrinſecus poſitas hominesque praetereuntes minus perſpicue et diſtincte, quam per feneſtras noſtras, cernere liceret. Quanquam vero de his ſpecularibus plura apud auctores veteres obueniunt, et in ipſis Iudaeorum ſeriorum libris veſtigia huius rei deprehenduntur (cfr. Wolfius in curis ad h. l. Wettſtenius in comment. ad h. l. Buxtorfius in lexico talmud. p. 171. Oldermanni diſſert. philologica de ſpecularibus veterum, Helmſtad. 1719), vocem tamen εσοπτρον hoc ſenſu vſurpatam eſſe, nullius effati ope demonſtratum eſt. Argumentum quippe, quod ex gloſſariis graeco-latinis depromunt, vbi ἐσοπτρον et: ſpeculum, et: ſpeculare vertitur, non auſim certum exiſtimare et exploratum, quum facile fieri potuerit, vt hi gloſſariorum ſeriorum auctores vel voces latinas: ſpeculum, et: ſpeculare, minus accurate pro ſynonymis haberent, vel de eiusmodi vſu vocis ἐσοπτρον cogitarent, qui ad graecitatem aeui medii propius accederet, et alienus eſſet ab aetate apoſtolica. Immo ἐσοπτρον, praeeunte ipſa vocis etymologia (quum praepoſitio adfixa εἰς non tam ſpeculari, ſiue ex noſtra conſuetudine fene-

a) Cfr. Plinii hiſtoria natur. 3, 4. 35, 36. 36, 45. *Seneca* epiſt. 90.

ſtrae, per quam cernamus rem extrinſecus poſitam, quam ſpeculo, quod *intro*ſpiciamus conueniat), locisque duobus, quos ſupra attulimus, ſatis perſpicue monſtrantibus, ſpeculum ſignificat 3) i. q. κατοπτρον (cfr. Aeſchyli Agam. v. 317.) De ſpeculari vox διοπτρα potius adhibenda fuiſſet, cfr. Strabo l. 12. p. 40. ed. Sieb. Neque conſilium ſermonis Paulini efflagitat, vt εσοπτρον aliter intelligatur, quam per vſum loquendi ſatis exploratum intelligi poſſit. Etſi enim ſpeculum imaginem rei aut perſonae claram et lucidam exhibere poſſit; praeferre tamen ſolemus adſpectum ipſius rei aut perſonae (προσωπον προς προσωπον βλεπειν). Quemadmodum imago, quae ſpeculo exhibetur, ad rem ipſam ſeſe habet in ſpeculo apparentem, ita cognitio, quam nunc habemus, Dei rerumque diuinarum ab ea differt, quae Chriſtianis veris olim continget. Quo maiori perſpicuitate notio cognitionis minus perfectae exprimatur, addit Apoſtolus εν αινιγματι. Αινιγμα quiuis ſermo dicitur obſcurior, ſiue allegoricus ſit, ſive alio modo rem inuolucris tegat verborum. Cfr. de hac voce et verbo αινιττεσθαι Pauſanias Arcad. VIII. Aelianus Var. Hiſt. 2, 29. Plato in Gorgia ſ. 49 p. 174. ed. Findeiſen. Reſpondet hebraico חידה, Numerr. 12, 8. I regg. 10, 1. Vid. Wettſten. ad h. l. et Valquenarius: ſelecta e ſcholis Valquenarii in libros quosdam N. T. ed. Waſſenbergh, T. II. (Amſtelod. 1817.) p. 312. εν αινιγματι i. q. αινιγματωδως ſ. αινικτηριως (vt apud Aeſchylum legitur in Prometh. V. v. 832) Ad ſententiam Apoſtoli recte intelligendam fere nihil differt, ſiue εν αινιγματι cum tota ρησει: βλεπ. δι' εσοπτρου propius cohaerere exiſtimemus: cernimus hoc tempore (Deum et res diuinas) obſcurius (αινιγματικως), veluti per ſpeculum ſ. in ſpeculo, ſiue metaphoram nouam continere: cernimus hoc tempore veluti in ſpeculo, (cernimus ſ. intelligimus) veluti per ſermonem obſcuriorem. Nemo facile in eo haerebit, quod obiectum cognitionis in verbis Paulinis deſideratur. Licet enim ex notione γνωσεως, cuius mentionem Apoſtolus v. 8. ita fecerat, vt inde ſtatim ad conditionem, quam innuit, inperfectam cum conditione magis perfecta comparandam tranſiret, itemque ex locis quibusdam V. T. quae Paulo ante oculos obuerſata eſſe videbimus, facile perſpicere, ſermonem eſſe de cognitione recta rerum diuinarum, coeleſtium, ipſiusque Numinis Summi. Cfr. c. 8. v. 1. 3. ſeqq. Singularem huius cognitionis prae-

3) Habuiſſe veteres ſpecula noſtris ſimilia, neminem latet. Cfr. Eberhard de Weyhe de ſpeculorum origine, vſu et abuſu in Caſp. Dornauii amphitheatro ſapientiae Socrat. p. 632. ſeqq.

ſtantiam, lucemque veritatis diuinae clariſſimam membrum deſcribit oppoſitum: τοτε δε προσωπον προς προσωπον, olim ita cernemus, vt os ori ſit obuerſum, i. q. στομα προς στομα, LXX. Numerr. 12, 8. hebraice פֶּה אֶל פֶּה, בְּנִים אֶל בְּנִים, עַיִן בְּעַיִן, Cfr. Geneſ. 32, 31. Exod. 33, 11. Iudd. 6, 22. Phraſes Graecorum ſimiles Wolfius in curis ad h. l. laudauit. Eadem ſententia iteratur verbis ſequentibus αρτι γινωσκω εκ μερους etc. εκ μερους hoc tempore γινωσκειν ſupra quidem v. 9. Chriſtiani *vniuerſe* dicebantur, quatenus ſinguli tantum (non omnes) cognitionem habent perfectiorem. Cfr. quae nota 1. obſeruauimus. Hoc loco, quum Paulus, ſuo ipſius exemplo vſus, de quouis Chriſtianorum ſingulorum, qui γνωσιν habent, adfirmet, eum εκ μερους tantum γινωσκειν, haud dubie μερος ad *ambitum et conditionem ipſius*, qua nunc gaudemus, γνωσεως referendum eſt; *nunc vel ipſe ego noui* (vt Hollmannus vertit in animaduerſionibus ad cap. 3. et 13. epiſtolae Pauli 1. ad Corinthios, Lipſ. 1819. p. 39.) τό τελειον *tantummodo in nonnullis*, ſiue: *hoc tempore quodammodo tantum cognoſco* (quo ſenſu alibi απο μερους dicitur, cfr. nota 1.), ipſa γνωσις hoc tempore inperfecta eſt. Opponitur επιγιγνωσκεσθαι (τοτε δε επιγνωσομαι), cuius verbi compoſiti vis ab interprete haud negligenda eſt, ſiquidem plus inuoluit quam ſimplex γινωσκειν, cognitionem deſcribens perfectiorem, veriſſimam, ambitu ſuo et perſpicuitate eximie increſcentem. ep. ad Romanos 3, 20. 10, 2. Magnopere vero diſſentiunt interpretes de phraſi, quae difficilior eſſe videtur καθως και επεγνωσθην recte intelligenda. Sententia Pauli verbis τοτε δε επιγνωσομαι ſatis perſpicue enuntiatur, nec ſtatim patet, quorſum haec clauſula καθως και επεγν. addita fuerit? *Cognoſci* pro *edoceri*, intelligentiorem reddi, facultate cognoſcendi magis perfecta inſtrui, poſitum eſſe, ita vt formae Hophal hebraici ידע reſpondeat, plures interpretes coniecerunt hoc ſenſu: *tum* (olim) *perfectius cognoſcam*, *prouti amplius edoctus fuero*, ſiue *ſecundum perfectiorem*, *quam illo tempore adeptus fuero*, *intelligendi facultatem*. Cfr. Beza, Starckius in notis ſelectis ad h. l. Wolfius in curis ad h. l. Theoph. Alethaeus in libro: *gründliche Erläuterung der dunkeln Örter alten und neuen Teſtaments*, 21. *Verſuch*, Leipz. 1725. p. 569. ſq. Laudauerunt ſane effata Paulina 1 Corinthh. 8, 3. ad Galatas 4, 9. vt hanc verbi γιγνωσκεσθαι interpretationem fundamento ſuperſtruerent philologico. Quid vero eſt, quod ex locis allatis ſequatur? Priorem quod attinet (1 Corr. 8, 3.) vbi Paulus de homine Deum vere amante (quem homini cognitione ſua, γνωσει, ſuperbienti opponit) haec dicit: οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ, videtur omnino ea, quam plurimi ſequuntur huius ῥησεως expli-

catio: eiuſmodi homo a Deo recte edoctus eſt, i. e doctrinam diuinam recte cognouit, haud parum commendari verbis v. 2. comparandis: ει δε τις δοκει ειδεναι τι, ουδεπω ουδεν εγνωκε, καθως δει γνωναι, quibus illa: ει δε τις αγαπα τον θεον, ουτος εγν. υπ' αυτου, opponuntur. Quam diu vero alia effata certa et perſpicua deſiderantur, quae monſtrent, formam paſſiuam γιγνωσκεσθαι hoc ſenſu (edoceri, ſ. facultate cognoſcendi inſtrui) vere vſurpatam eſſe, nolim equidem ex loco allato (1 Corr. 8, 3.) argumentum huius ſignificationis repetere, quod ſatis exploratum videatur. Licet enim in ea, quae vulgo occurrit, verbi γινωσκειν ſignificatione (cognoſcendi) acquieſcere, ſi modo v 3. (ουτος εγνωσται υπ' αυτου) pronomen prius ὀυτος, quo vulgo hominem ipſum, ος αγαπα τον θεον innui putant, ad ſubiectum praecedens θεον, poſterius vero ἀυτοῦ, quod interpretes, quos contuli, omnes de Deo intelligunt, ad ſubiectum hominis refertur. Sic verſus ſecundus, ubi Paulus de Chriſtiano, qui ſingularem iactitat rerum diuinarum cognitionem, ſenſu vero amoris Chriſtiani deſtituitur, nec vllam rationem habet infirmitatis aliorum, hoc enuntiauerat: ſi quis cognitionem ſingularem habere ſibi videtur (ea ſuperbit), is profecto nondum quicquam nouit, vti noſſe debet, egregie cohaeret ſententiae v. 3. propoſitae: *ſi quis vero Deum amat* (amorem Dei verum pectore nutrit, fontem limpidiſſimum amoris, quo alios homines complectimur — vtrumque voce αγαπη v. 1. comprehendebatur), *hic* (Deus) *ab illo* (Deum diligente) *recte eſt cognitus* ſ. eiusmodi Chriſtiano Deus recte innotuit, is veram habet γνωσιν. 4) De altero Pauli effato ſupra laudato (ad Galatas 4, 9.) plures interpretes conceſſerunt, verba: γνοντες θεον, μαλλον δε γνωσθεντες υπο θεου recte ita verti poſſe, vt nihil nos iubeat participium γνωσθεντες praeter conſuetudinem de iis, qui edocti ſunt, interpretari: *quum Deum recte cognoveritis* (recte cognoſcere et diligere didiceritis) *vel potius a Deo agniti ſitis*, i. e. quum Deus, quantopere ei, tanquam patri filii, curae cordique eſſetis, vobis oſtenderit be-

---

4) Ceterum non negauerim verbum γινωσκειν ſubinde hebraico ידע ita reſpondere, vt notionem probandi aliquem, curae cordique habendi, diligendi (ex notione *agnoſcendi* deriuandam) exprimat. LXX. Pſ. 1, 6. Matth. 7, 23. Hunc loquendi vſum in ſubſidium vocarunt interpretes, qui locum allatum, ουτος ad hominem referentes, verterunt; ſi quis Deum amat eiusmodi homo a Deo diligitur, ſ. Deo probatur. Sed nexus ſententiarum multo facilior apparet, magisque perſpicuus, ſi eam, quam ſupra commendaui, rationem probaueris.

neficiis euangelii per Christum offerendis. (Cfr. nota 4.) Deinde qui effato, in quo tractando nunc versamur, hunc sensum vindicari volunt: prouti amplius edoctus fuero, a legibus sermonis graeci deflectere coguntur, aoristo επεγνωσθην vim futuri cum perfecto quodammodo mixti tribuentes. Quod quo iure fiat, ex locis, quae plures laudauerunt (v. c. Io. ev. 13, 36. 15, 6. 8. 17, 14.) parum certo cognoscimus. Denique tota Pauli enuntiatio, sic intellecta: tum perfectius cognoscam prouti amplius edoctus fuero, ni omnia me fallunt, aliquid frigidi habet et otiosi, a grauitate et breuitate sermonis apostolici, quae hoc potissimum loco eminet, alienum, nec patet, quorsum copula και addita fuerit. Maiorem quidem vim et grauitatem enuntiatio Pauli lucrari videtur, si sensus totius additamenti: καθως και επεγν. eiusque nexus cum verbis antecedentibus hac ratione circumscribatur (vid. Wolfius in curis philol. et crit. T. III. p. 510.): tantum differt cognitio illa futura ab ea, quam in hac vita consequimur, vt, qualis et quomodo ea futura sit, quamque excellens sit, non valeam adsequi, sed experturus sim, quando eam mihi concedet Deus. Sed haec παραφρασις textui graeco inferre videtur, quod vix eruere licet, si iustam interpretandi simplicitatem tenemus. 5) Vulgarem verbi επιγιγνωσκειν significationem (perfectius, s. amplius cognoscere) plerique interpretes in explicanda phrasi καθως και επεγν. deserere noluerunt, tramites quidem diversos ineuntes. Alii quippe aoristo επεγνωθην vim futuri tribuentes subintelligendum existimant: *ab aliis hominibus.* Cfr. *Heumannus* in libro: *Erklärung des* N. T. 10 Th. (Hannover, 1759.) p. 545. ss. cui sententia Apostoli haec fuisse videtur: *olim* (in vita beata) *perfectiorem habebo cognitionem, quemadmodum ipse accuratius cognitus fuero aliis hominibus in vita beata versaturis.* *Semmlerus* vero in sua paraphrasi in 1. Pauli ad Corinthios epistolam Vol. I. (Halae, 1770.) p. 346. sq. *Paulus* in repertorio nouo T. II. p. 195. *Krausius*: Pauli ad Corinthios epistolae graece perpetua adnot. illustratae (Francof. 1792.) Vol. I. p. 231. homines alios huius vitae intelligunt, Christianos, qui ad cognitionem meliorem pervenerint, sic vertentes: *olim*

5) Ceterum contra eos, qui illam formae επεγνωσθην explicationem: *edoctus* fuero, ex sermone hebraico confirmare studuerunt, verissime monuit Ven. *Niemeyer:* commentationis ad locum Pauli 1 Corr. c. 13. pars posterior (Halae, 1797. 4.) p. 9. γινωσκειν non τῳ הודיע in *Hiphil*, sed τω ירה in *Kal*, ideoque passiuum γινωσκεσθαι non τω הודע in *Hophal*, sed τω נודע in *Niphal* (cognosci, s. agnosci, s. probari) respondere.

(quando ſtatus eccleſiae Chriſtianae perfectior venerit) *non ſolum ipſe ex mea parte intelligam, ſed quoque ab aliis intelligar*, ſiue (vt Semlerus l. l. circumſcribit) *iſto tempore melius atque certius cognoſcam, quemadmodum interea etiam fiet, vt aliis melius innoteſcam*, quem, per haec pueritiae quaſi Chriſtianae tempora, me minoribus ſtudiis aliorum in commodum vtentem, ſolent alii fere deſpicere. Verum, vt taceam (quod ſupra aliis oppoſuimus), vſum loquendi non fauere interpretibus, qui aoriſto επεγν. vim tribuant futuri, ſi haec fuiſſet Apoſtoli ſententia, non potuiſſet illud: *ab aliis hominibus*, lectoribus ſuis relinquere tacite ſupplendum, quum verſibus praegreſſis nihil hac de re enuntiatum fuiſſet, quo haec ellipſis adduceretur. Deſideramus omnino, ſi verba Pauli ſic intelligantur, oppoſitionem iuſtam, ſignificationem perſpicuam cognitionis magis perfectae rerum diuinarum. De eiusmodi enim cognitione rerum quae ad *religionem*, ad Deum eiusque decreta pertinent, cogitaſſe Apoſtolum, ex eo patet, quod phraſes γιγνωσκειν et επιγιγνωσκειν haud dubie ad γνωσιν illam reſpiciunt, quam Paulus ſupra v. 2. 8. commemorauerat (conf. c. 12. v. 8. c. 14. v. 6. c. 8. v. 1. ſeqq.) Totius effati Paulini ſeries finisque primarius multo potius eorum ſententiae patrocinatur, qui ad verba καθως και επεγνωσθην haec ſubintelligunt: *a Deo*, formae επεγν. vim praeteriti vindicantes. Eorum plures (Druſius, Eſtius, Vorſtius. inter recentiores Laurentius *Sahl* in libro: paraphraſis in 1. Pauli epiſtolam ad Corinthios, Hauniae et Lipſ. 1779. p. 210.) Apoſtolum haec ita pronuntiaſſe exiſtimant, vt ad Paulum ſolum eiusque vitam referenda eſſent: *olim perfectius cognoſcam* (Deum et res diuinas); *quemadmodum cognitus ſum a Deo* per viſionem coeleſtem, quae me vocauerat ad munus Apoſtoli obeundum, ſ. *quemadmodum Deus me longe aberrantem, et a ſe alienum prior cognouit, et ad ſe perduxit*, vt eum cognoſcerem, quaererem, amarem, ſ. *quemadmodum Deus me penitius cognouit*, quum me dignum iudicaret munere apoſtolico. 6) Haec ratio, quantum equidem ſentio, artificioſior eſt, nec ita ſe habet, vt ex ſerie ſermonis Paulini recte obſeruata ſponte oriatur. Quemadmodum Apoſtolus v. 11. 12. vbique perſonam primam (ημην, ελαλουν, εφρονουν, ελογιζομην, etc.) ita adhibet, vt, quod de ſe vno pronuntiare videatur, aeque velit de aliis intelligi omnibus; ita etiam

6) Eandem fere ſententiam ex verbis Apoſtoli eruunt, qui verbum επεγνωσθην contra loquendi vſum pro εδιδαχθην accipientes verterunt: olim (in altera vita) perfectiori cognitione gaudebo, quemadmodum in hac vita diuinitus edoctus ſum.

verbis postremis v. 12. καθως και ἐπεγνωσθην aliquid inesse oportet, quod minime ad Paulum solum eiusque vitam fatis singularibus insignem pertineat. Viam verissimam inierunt *Piscator* ad h. l, *Zachariae* in libro: *paraphrastische Erklärung der beyden Briefe Pauli an die Corinthier, herausg. von Volborth* 1. *B. Göttingen und Leipzig*, 1796. *p.* 288. *Moshemius Erklärung des ersten Briefs an die Cor. Altona und Flensburg*, 1748. *p.* 810. ex phrasi Paulina sententiam eruentes, quae de omnibus valeat: *olim perfectius cognoscam* (Deum et res diuinas), *quemadmodum ipse iam cognitus sum* (Deo). Seruamus quippe, hac ratione probanda, significationem verborum γιγνωσκειν et επιγιγνωσκειν satis cognitam et exploratam; aoristo επεγνωσθην vim suam vindicamus; ellipsin nullam admittimus, quae in hoc nexu sermonis Paulini durior appareat, et longius petita; sententiam nullam scriptori obtrudimus, quae a fine primario huius totius effati abhorreat. Teneamus modo, Apostolum, quum v. 12. diceret: βλεπομεν — προς προσωπον in mente habuisse loca antiqui foederis Exod. 33, 11. tum Iehoua ad Mosen loquutus est, *facie ad faciem versa* (פָּנִים אֶל־פָּנִים), vt quisque ad amicum loquitur, et Numerr. 12, 6. 7. 8. vbi Deus haec dicit: si vates inter vos exstat, ego Iehoua per visionem ei me notum facio, aut in somnio cum eo loquor, non item cum Mose, seruo meo, qui in tota domo mea (populo Israëlitico) spectatae fidei est; *ore ad os eius conuerso* (פֶּה אֶל־פֶּה) cum eo loquor, videndum ipsi praebeo (me, siue, vt alii supplent: id quod cognoscere eum volo), וּמַרְאֶה, nec obscure, s. per aenigmata, וְלֹא בְחִידֹת. Describitur his verbis cognitionis Dei, decretorumque diuinorum, quae Mosi soli diuinitus contingat, perspicuitas plane eximia. Obseruemus porro parallelismum verborum Paulinorum, quae v. 12. duobus membris comprehenduntur. Quemadmodum verba: αρτι γινωσκω εκ μερους prorsus respondent illis (tropice dictis): βλεπομεν γαρ αρτι δι᾽ εσοπτρου εν αινιγματι, ita, quod Paulus sermone tropico enuntiauerat (ad verba ex V. T. supra laudata alludens) τοτε δε προσωπον προς προσωπον, *idem* oratione propria iteratur: τοτε δε επιγνωσομαι καθως και επεγνωσθην. Accuratius quidem haec postrema verbis: τοτε δε προσωπον προς προσωπον (vbi βλεψομεν ex antecedentibus supplendum) congruerent, si Paulus tempore futuro vsus scripsisset: tum vero perfectius cognoscam (quasi de facie, coram videbo) Deum, quemadmodum Deus me *coram videbit*, προς προσωπον, siue (remota imagine ad hanc postremam enuntiationem non amplius pertinente) *prorsus cognoscet*. Verum enimuero de Deo, aeterno, omniscio, cui omnia ab aeternis inde praesentissima fuere, dicere non poterat, fore

vt Deus *olim demum* hominem prorſus cognoſceret et perſpiceret. Ipſa igitur rei, de qua ſermo eſt, natura ſecum ferebat, vt aoriſto (proprie intelligendo, nec in futurum conuertendo) vteretur: quemadmodum ipſe (iam nunc) prorſus perſpectus et cognitus ſum a Deo. 7) His ita conſtitutis, verſum integrum 12. ſic vertamus: *nunc enim veluti per ſpeculum cernimus, per imaginem* (ſ. *ſermonem obſcuriorem*), *olim ita, vt os ori ſit obuerſum; nunc partem tantum cognoſco, olim perfectius* (*Deum*) *cognoſcam, quemadmodum ipſe perfecte ſum cognitus* (*a Deo.*) Docuerat Paulus v. 8. 9. amorem nunquam ceſſaturum, dona vero, quae hoc tempore ſingulos tantum Chriſtianos a ceteris diſtinguant (prophetiae, γλωσσων, cognitionis eximiae) olim finem eſſe habitura, atque, ne quis in eo offenderet, quod ipſa γνωσις non perpetua fore diceretur, v. 11. 12. oſtenderat, hoc de ea γνωσει valere, quae in hoc ſtatu praeſenti ſingulis tantum contigerit, ſummumque diſcrimen eſſe huius, quae nunc a multis praedicetur, γνωσεως, illiusque conditionis animi longe perfectioris (viſionis Dei rerumque diuinarum), quae olim ſit futura. Redit v. 13. ad perennitatem amoris, ita vt idem de ſpe et fiducia adfirmet: νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπις, ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη. Illis, quae Paulus ſupra v. 8. tanquam praeteritura (καταργηθησονται, παυσονται) deſcripſerat, χαρισμασι opponuntur haec tria, quae ſemper maneant (μενει, ουδεποτε εκπιπτει v. 8.) πιστις, ελπις, αγαπη. Vocabulum πιστις, quod latius patet, quo ſenſu hoc potiſſimum loco dicatur, ex commate 2. huius ipſius capitis colligere licet (καὶ ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν ὥστε ὄρη μεθιστάνειν, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδέν εἰμι) collatis inſuper locis Matth. 17, 19. 20. Marci 11, 22. Luc. 17, 5. ff. Perſuaſio intelligitur firma de auxilio diuino homines in perficiendis iis, quae conſilio honeſto, Deo volente ſuſceperunt, adiuuante. Haud dubie vero Paulus, αγαπην praedicans, in mente habuit ideam amoris erga homines vere Chriſtiani (ex vero Numinis Summi amore oriundi, Matth. 22, 37. ff.) Eiusmodi amor, religioni tanquam fundamento ſuperſtructus, partim, in ſalute vera aliorum hominum promouenda perpetuo occupatus, auxilio confidit diuino, partim

7) Comparatio ipſa huius futurae Dei cognitionis cum ea hominis cognitione, quae Deo competit, non *gradum*, ſed *modum* et *rationem* intelligentiae depingit: cognoſcemus Deum absque inuolucris ſimilitudinum atque imaginum, et hac in re ſimiles erimus Deo, internam hominis cuiusque naturam ita perſpicienti, vt nullo indigeat notionum imaginumque humanarum praeſidio.

(id quod hoc loco propter versum huius capitis 7. παντα πιστευει maxime tenendum est) procliuis est ad fidem aliis hominibus habendam, alienus a vitio eorum, qui alios omnes multo citius malos, deprauatos, fraudatores, quam bonos et candidos existimant. Αγαπη igitur et πιστις vinculis cohaerent firmissimis. Vbi vero haec πιστις vim suam et efficaciam exserit, exspectatio laeta (ελπις) deesse non potest. Qui auxilio confidit diuino, spem alit laetissimam, fore, vt Deus sibi felicem eorum, quae instituerit, successum contingere iubeat. Qui homini fidem veram habet, de iis, quae alter facturus sit, optima quaeque exspectat. Cfr. supra v. 7. (αγαπη) παντα πιστευει, παντα ελπιζει. Add. ep. ad Romanos 15, 13. vbi πιστευειν τω θεω coniungitur ελπιδι. Iam vero interpretes de verbis νυνι δε μενει magnopere disputant, vtrum Apostolus de perennitate amoris, spei, fidei per omnes ecclesiae Christianae, eiusque status externi et interni in hac terra vicissitudines duratura cogitauerit, an docere potius voluerit, αγαπην vna cum πιστει et ελπιδι in vita quoque futura (in regno diuino) nunquam esse cessaturam? Haud pauci quippe (nostris quidem temporibus plerique interpretes) rationem priorem sequuntur 8) voculam νυνι pro nota *temporis* accipientes (epist. ad Romm. 6, 22.), et, quae Paulus supra v. 8. de fine, quem προφητεια, γλωσσαι, γνωσις olim habiturae sint, itemque v. 10. de τελειω, quod aliquando venturum sit, monuerat, de statu quodam perfectiori ecclesiae Christianae in his terris exspectando intelligentes: quanquam charismata illa, prophetia, donum linguarum, γνωσις nostra (inperfecta et manca, eademque singulos tantum Christianos insigniens), aliquando cessatura sunt, si haec veluti pueritiae coetus Christiani tempora elapsa fuerint, perpetuo tamen inter omnes ecclesiae Christianae vicissitudines haec tria manebunt, fides, spes, amor. Cognoscamus paucis argumenta, quae pro hac sententia omnino pugnare videantur, primaria. 1) Sollenne est, inqui-

---

8) Cfr. Erasmus, Heumannus, Moshemius, Semmlerus, Rosenmüllerus, Krausius, Niemeierus et Hollmannus in commentationibus supra laudd. Quod *Krausium* potissimum attinet qui in sua epistolae 1. ad Corinthios editione p. 231. sententiam verborum hoc modo interpretatus est: nunc autem (quum ecclesia parum exculta aliorum institutione nondum egere possit) haec tria manent necessaria, *fiducia* in aliorum fidem atque integritatem in docendo, hortando, monendo, *spes* in meliora ecclesiae tempora et perfectiorem eius statum, αγαπη; facile est intellectu, interpretem acutissimum *hoc loco* a vero aberrasse, et voculam νυνι et substantiua πιστις atque ελπις limitibus nimis angustis iisque arbitrariis circumscribentem.

unt, Paulo, cognitionem perfectiorem rerum diuinarum, ad quam Christiani adspirare debeant, in hac ipsa terra assequendam adumbrare, statumque ecclesiae Christianae praesentem conditioni perfectiori opponere, in posterum exspectandae. Sic in ep. ad Ephess. 4, 13. spem profitetur praestantissimam, successu temporis omnes peruenturos esse ad ενοτητα της πιστεως, και της επιγνωσεως του υιου του θεου, εις ανδρα τελειον etc. Christiani πνευματικοι a σαρκικοις, νηπιοις εν χριστω, lacte nutriendis, nec cibo firmiori, distinguuntur I. ad Corinthh. 3, 1. 2. ad Hebrr. 5, 12. 13.. De incrementis religionis verae, quibus Christiani veri in dies magis magisque immutentur ad imaginem Domini, in ep. 2. ad Corinthh. 3, 18. sermo est (nisi cum aliis interpretibus verba ημεις παντες ad solos Apostolos referre malueris.) 2) Quaesiuerunt porro, quomodo Paulus, si statum perfectiorem in altera vita exspectandum in mente habuisset, dicere recte potuisset, charismata illa *olim demum* cessatura esse? quum historia testetur, προφητειας illas, γλωσσας, δυναμεις similesque dotes, quibus adhibendis animi hominum aeuo Apostolico excitandi essent, *prioribus quidem post Christum natum saeculis elapsis*, re vera euanuisse? 3) Monuerunt denique, perpetuitatem, quae hoc loco, si vita coelestis Paulo ante oculos obuersata esse existimetur, *spei* et *fidei* vindicetur, non posse cum aliis Pauli effatis recte componi, neque naturae rei accommodatam videri. Vtrumque enim, et πιστις et ελπις, ponere, vt nondum adsit et appareat, quod persuasione illa, quae πιστις dicitur, amplectimur, siue, quod exspectamus et speramus, ideoque non posse nisi ad hanc vitam terrestrem referri. Ad loca potissimum prouocant 2 Corinthh. 5, 7. δια πιστεως γαρ περιπατουμεν, ου δια ειδους, ad Hebrr. 11, 1. εστι δε πιστις ελπιζομενων υποστασις, πραγματων ελεγχος ου βλεπομενων, ad Romm. 8, 24. ελπις δε βλεπομενη ουκ εστιν ελπις· ο γαρ βλεπει τις, τι και ελπιζει; Quanquam concedimus, haec omnia ab interpretibus laudatis erudite ac subtiliter disputata esse; liceat tamen his alia opponere argumenta, quae doceant, Paulum omnino non tantum de hoc statu terrestri, sed etiam *de vita futura coelesti* intelligi voluisse, quod v. 13. scripserit: νυνι δε μενει etc.: *iam vero* (sic enim νυνι saepius adhibetur, et oppositionem indicans, et conclusionem ex oppositione deriuandam, 1 Corr. 5, 11. 12, 18.) *haec tria perpetuo manebunt, fides, spes, amor.* Ac primum quidem audiuimus Paulum v. 12. de tempore loquentem, quo Deum et res diuinas spectaturi simus προσωπον προς προσωπον, i. e. (vt ex locis supra ad v. 12. laudatis intelligimus) cognitionem rerum diuinarum perfectam habituri, ita vt nihil amplius obscurum appareat, nec porro imaginibus et symbolis indi-

geamus. Haec formula προσωπον προς προσ. facile cuiuis lectori in mentem reuocat aliam phrasin N. T. οπτεσθαι θεον, quae semper ad vitam coelestem olim in regno Dei futuram pertinet, Matth. 5, 8. Io. 3, 2. Hebrr. 12, 14. Quamdiu in hac terra viuimus, si vel maxime culti simus atque eruditi, nunquam eiusmodi cognitionem rerum diuinarum vindicare nobis possumus, quae recte dicatur βλεπειν προσωπον προς προσωπον. Eodem versu 12. Paulus porro haec professus fuerat: τοτε δε επιγνωσομαι etc. Quanquam hic illud dicendi genus supra notatum obtinet, quo Paulus, quae de hominibus siue de Christianis potissimum vniuerse valent, ita enuntiat, vt sui ipsius mentionem faciat, in promtu tamen est, verbis laudatis aliquid enuntiari, quod simul ad Pauli quoque personam (ad Pauli exspectationes statumque futurum) pertineat. Iam vero non memini Apostolum vnquam in epistolis suis de eiusmodi perfecta rerum diuinarum cognitione (visione Dei, vt voce biblica vtamur) loquutum fuisse, ad quam ipse in hac terra, in hoc rerum ordine, peruenturus esset. Saepissime vero exspectationem suam certissimam laetissimamque vitae post mortem instantis *statusque animi sui perfectioris* olim futuri declarauit, v. c. 2. ad Corinthh. c. 5. praesertim v. 6. seqq. ad Philipp. 1, 21. ss. Item, quod Paulus capite nostro v. 10. dixerat: τοτε το εκ μερους καταργηθησεται, si sententiam accurate spectaueris, vix potest aliter intelligi, quam de vita olim in regno diuino futura. De hac enim vita terrestri nemo facile contendere ausit, tempus fore, quo omnia desinant, quae Christianos singulos tanquam dotes diuersae insigniant (v. c. cognitio subtilior, γνωσις, qua alter alteri praestet.) Quod effata Paulina attinet ab iis interpretibus in medium prolata, qui locum nostrum de statu quodam perfectiori ecclesiae Christianae in his terris venturo explicare maluerunt, nolim ex iis colligere, Apostolum non potuisse *hoc loco* eam quam nos in verbis Pauli deprehendimus, sententiam profiteri (de statu perfectiori in vita futura coelesti instante), etsi lubentissime concedimus, *illa effata* recte ab interpretibus ad ecclesiam Christianam in his terris viuentem referri. Neque phrases ac formulae locis laudatis vsurpatae prorsus eaedem sunt, quae hic obueniunt. Sufficiat, de loco epist. ad Ephesios 4, 13. cui plurimum in hac argumentatione tribui solet, monuisse, Apostolum l. l. omnino non loquutum esse de charismatibus illis (1 Corr. 13, 8. commemoratis) aliquando cessaturis, immo potius de diuersitate munerum, quae Christiani diuersi (αποστολοι, προφηται, ευαγγελισται, ποιμενες, διδασκαλοι) aeuo Apostolico, Deo sic volente et instituente, in ecclesia Christiana

administrent, ad veram ecclesiae salutem promouendam, donec omnes ad parem persuasionem et cognitionem rectam doctrinae Christianae, veluti ad perfectionem virilem peruenerint, non amplius cuiusuis doctrinae humanae vento agitati. Neque phrasis, quae in ep. ad Ephesios l. l. v. 13. legitur, cognitionem doctrinae Christianae firmiorem magisque subactam sub imagine aetatis virilis exhibens (καταντᾳν εις ανδρα τελειον) prorsus aequiparanda est formulae in epistola nostra 1. ad Corinthh. 13, 10. obuiae οταν δε ελθῃ το τελειον, quum ipse vsus generis neutrius το τελειον praecipua perspicuitate notionem innuat infinitam (ideam) status perfecti in regno diuino olim futuri. Quod vero interpretationi nobis probatae ex historia opponitur, nonnulla certe ex illis primorum temporum Christianorum charismatibus c. 13. commemoratis (miracula potissimum et donum γλωσσαις loquendi) sensim sensimque re vera euanuisse, veritatem sententiae nostrae non infringit, quum verbis Paulinis v. 13. (etiamsi secundum nostram persuasionem sic vertuntur: iam vero, quamuis alia omnia cessauerint, tria tamen sunt, quae in perpetuum maneant, fides, spes, amor) nihil inesse videamus, quo Apostolus *negauerit* charismata illa inter Christianos in hac terra viuentes aliquando cessatura esse. Nonne enim, quae per omnia saecula (in ipso regno Dei futuro) perdurabunt, satis commode omnibus iis opponuntur, quae *suo tempore* finem habebunt? Denique loco Paulino hac ratione interpretando minime aliis eiusdem Apostoli effatis contradicimus, vbi vel πιστις vel ελπις ita commemoratur, vt pateat, vtramque ad homines tantum pertinere in hac terrestri vita versantes. Teneamus modo, has voces non vbique in libris N. T. *eodem plane sensu* vsurpari. Quodsi de ea cogitaueris et πιστει et ελπιδι cuius notionem animo Pauli h. l. obuersatam esse ex versu 2. et 7. huius ipsius capitis supra ostendimus, difficultatem omnem euanescere videbis. Quemadmodum αγαπη vera non tantum incolarum huius terrae est, sed etiam inter homines ad coelites euocatos aliorum proborum consortio gaudentes (in regno diuino) vim suam et efficaciam perpetuo exseret; ita etiam, quae huic amori coniunctissima est, et fiducia in auxilio ac fauore diuino collocanda, et animi procliuitas ad optima quaeque de aliis speranda et exspectanda nullo tempore cessabit. Denique, his ita constitutis, non amplius potest obscurum videri, quo sensu αγαπη *primas tenere* μειζων esse τουτων dicatur (μειζων quippe pro superlatiuo ponitur, Matth. 23, 11. Marci 4, 32. 1 Corr. 15, 19.) Natura atque indoles amoris veri Christiani, qualem Paulus cap. 13. descripsit, ita comparata est, tantamque vim et efficaciam

habet in totam hominis vitam et internam et externam, vt, si quis hunc sensum Christianum toto animo amplexus fuerit, eumque nutriat et alat, neque πιστις vera, nec ελπις (et Dei et hominum ratione habita) possit deesse, amori quippe vero coniunctissima. Eademque αγαπη efficit, vt πιστις et ελπις vtilitatem veram praestet, vt fructus ferat Deo probatissimos, vt in sermonibus factisque reddatur conspicua, salutem aliorum hominum promouentibus. Πιστις vero, amore destituta, nullius esset pretii (v. 2.) Ambitum totum, veritatem, atque praestantiam huius enuntiationis Paulinae egregie explicuit S. V. *Draesecke* in concione sacra, ab omnibus legenda, qui vim sententiae Apostoli recte assequi voluerint: *warum ist Liebe grösser, als Glaube und Hoffnung? in seinen Predigten über freigewählte Abschnitte der heiligen Schrift, ersten Iahrganges zweiter Theil, Lüneburg*, 1817. 8. *p.* 395. *seqq.*

Subiungere liceat conspectum breuem nexus et ordinis sententiarum, quas Paulus a versu inde 8. vsque ad finem capitis proposuit. Amor verus Christianus nunquam deficiet. Illa vero charismata, quae multi vestrum summa omnium et praestantissima existimant, prophetia, donum linguarum, cognitio rerum diuinarum subtilior, suo tempore finem habebunt. Nolite hoc mirari.

Illa enim, quae dixi charismata singulos tantum insigniunt Christianos. Quaecunque singulorum sunt, cessabunt olim, quando status perfectior (in regno diuino *omnibus* exspectandus) venerit. Liceat hoc (vt de γνωσει potissimum loquar) ex ipsa huius vitae terrestris analogia illustrare. Quamdiu pueri sumus, puerilia loquimur, agitamus, cogitamus. Vbi aetatem attigimus virilem, puerilia illa missa facimus. Similiter nos omnes, in hac terrestri vita constituti, Deum et res diuinas per symbola tantum et imagines inperfecte cognoscimus; olim visione Dei (cognitione perfecta, quae imaginibus nullis indigeat) gaudebimus. Iam vero, ceteris omnibus, quae dixi, suo tempore euanescentibus, haec tria in perpetuum manebunt, spes, fides, amor; primas vero tenet amor. Amorem igitur prae ceteris omnibus expetatis (c. 14. v. 1. διωκετε την αγαπην.)

(2)

NATI

JESU CHRISTI

SOLEMNIA

INDICIT

ACADEMIA JENENSIS.

Quo ſenſu Chriſtus apud Joannem ev. c. 5. v. 36. ſeqq. ad teſtimonium pro legatione ſua coeleſti divinitus exhibitum provocaverit,

diſſerit

HENRICUS AUGUSTUS SCHOTT,

THEOL. D. ET P. P. O.

IENAE,

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

MDCCCXXVI.

DEI GRATIA

CAROLUS AUGUSTUS

MAGNUS DUX SAXONIAE,

VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCEPS, LANDGRAVIUS THURINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCIPALI DIGNITATE COMES HENNEBERGAE, DYNASTES BLANKENHAINII, NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMUS

s. p.

CIVIBUS

EOSQUE ANIMO PATERNO EXHORTATUR

UT

QUEM SERVATOREM COELESTEM FELICITATIS AETERNAE AUCTOREM PERPETUUM NUMEN DIVINUM HIS DIEBUS SACRIS UNIVERSO GENERI HUMANO EXORIRI IUSSERIT EUM TOTO ANIMO ET PECTORE DILIGANT AC VENERENTUR EIUSQUE REGNI INVISIBILIS COMPOTES FIERI STUDEANT.

Quae capite *quinto* evangelii Ioannei enarratur oratio Servatoris divini continua, praeter alia effata gravissima, illud etiam continet, ab interpretibus huius evangelii diversimode intellectum, quo Christus, coram Iudaeis, fidem ei denegantibus, immo veritatem divinam eiusque praeconem coelestem acriter persequentibus, *testimonio per Joannem* baptistam de ipso olim *pronuntiato*, aliud anteponit, quod *ipse Deus* pater, cuius legatum sese profitetur, palam exhibuerit. V. 36. Ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου· τὰ γὰρ ἔργα, ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατὴρ, ἵνα τελειώσω αὐτὰ, αὐτὰ τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, ὅτι ὁ πατὴρ με ἀπέσταλκε. Testimonium sibi suppetere dicit gravius eo, quod olim (Io. 1, 19. ff.) dederit Ioannes (μειζω του Ιωαννου i. q. μειζονα της μαρτυριας του Ιωαννου, de qua ellipsi cfr. Glassius in philol. sacra p. 136.) Quo sensu autem hoc testimonium legationis divinae praestantius εργοις suis inesse contenderit, quae Deus pater sibi *demandasset* (quam potestatem verbo διδοναι inhaerere verba docent v. 22. huius capitis, cfr. 17, 4. Marci 12, 9. Luc. 12, 48.) ut ea *perficeret* s. ut iis *prorsus fungeretur* (Io. 4, 34. 17, 4. Act. 20, 24.), iisdem εργοις, quae re vera coram hominibus edere soleat (ἃ ἐγὼ ποιῶ)? varie disputatur. Quo minus *solam* Iesu Christi *doctrinam* eiusque tradendae negotium intelligas, usus loquendi inpedit. [1]) Nec magis probabile, Servatorem h. l. de eo tantum opere salutari cogitasse, quod *vita sua terrestri ponenda* humano generi praestiturus esset, quum de eiusmodi εργοις loqueretur, quae eo ipso tampore, quo haec Iudaeis fidem denegantibus diceret, iam inservire possent legationi eius divinae comprobandae. Facilius admitti possit sententia eorum, qui universe *totam Christi agendi rationem probam et honestam, sive exemplum Christi praestantissimum una cum institutione*

1) Cfr. opuscula mea exegetica, critica, p. 189. sq. dogmatica, Vol. I. Ienae, 1817. p. 73. sq.

eius ſapientiſſima intelligunt, niſi verba: ἃ ἔδωκέ μοι πατὴρ, ἵνα τελειώσω ἀυτά (coll. Io. 17, 4.) ostenderent, eum *praeſertim certa* quaedam *opera* ſive *negotia* in mente habuiſſe, quae ſibi, pro ſalute generis humani ſubeunda, divinitus inperata eſſe, perſuaſione firmiſſima agnoviſſet. Eadem de cauſa nolim cum plerisque *ſola facta* Chriſti, quae dicuntur, *inſignia* ſ. *miracula* (σημεια, τερατα, δυναμεις) iutelligere. Quanquam enim et εργον, et εργα hoc ſenſu anguſtiori dicitur (Matth. 11, 2. coll. Luc. 7, 14. 18. Io. 7, 21. coll. v. 23. Io. 9, 4. 5.), neque negari poteſt, Servatorem eiusmodi quoque factis inſignibus edendis, quae Deum cauſam Chriſti adiuvantem perſpicuitate prorſus eximia patefacerent, conſilio Numinis Sanctiſſimi ſatisfacere voluiſſe; tantum tamen abfuit, ut Chriſtus finem vitae ſuae inter homines agendae primarium ad facta inſignia edenda referret, ut ſatis aperte et docendo et agendo profiteretur, nonniſi propter *animos* hominum ad bona praeſtantiſſima (coeleſtia), quae ipſe iis offerret, recte ponderanda et percipienda convertendos talia quoque per ipſum fieri, [2]) quae homines a malis terreſtribus liberent, eosque in admirationem coniiciant. Laudaverunt ſane, qui illud εργα h. l. de ſolis miraculis interpretati ſunt, effata ſimillima Io. ev. 14, 10. 11. 10, 25. 37. 38. 15, 22. 24. Verum enimvero, quod ibi praedicatio, doctrina, inſtitutio Chriſti (τα ρηματα, το λαλειν) ſatis perſpicue ab iis, quae εργα eius dicuntur, diſtinguitur, argumento tantum inſervit, quo probetur, Servatorem locis laudd. εργα ſua commemorantem, *hac voce non ipſum docendi negotium* ſignificari voluiſſe, ſed *alia, quae praeter docendi officium ita agat et perficiat*, ut facile poſſint hominibus ſine partium ſtudio iudicantibus legationem eius divinam perſuadere (cfr. potiſſimum phraſis: νῦν δὲ καὶ ἑωράκασι Io. 15, 24.) His maxime ea Servatoris opera comprehendi, quae alibi nomine των σημειων ac τερατων veniunt, nemo, opinor, negaturus eſt, quum et univerſa vitae Ieſu Chriſti hiſtoria hanc ſententiam commendet, et ſingula obveniant (ut ſupra vidimus) librorum N. T. effata, quae certo demonſtrant, *huius generis* facta εργα Chriſti appellari. An vero *ſola* huius generis facta locis ex evangelio Ioanneo modo allatis intelligi debeant? recte, opinor, dubitatur. Nihil certe inpedit, quo minus Chriſtum ad εργα ſua locis laudd. provocantem *ſimul* de *tota* vitae ſuae morumque *honeſtate*, de ſtudio ſuo indefeſſo

---

2) Cfr. liber meus: *Briefe über Religion und chriſtlichen Offenbarungsglauben*, *Jena*, 1826. 7. *Brief*, *S*. 178. *ff*.

Deum patrem inter homines celebrandi, et, quaecunque faceret, ad voluntatem Numinis Summi eiusque consilia referendi (Io. 7, 17. 18.) cogitasse censeamus. Vocabulum quippe εργα, praeeunte et ipsa rei, de qua sermo est, natura, et nexu sermonis, modo latius patet, modo finibus angustioribus circumscribitur, ita ut nemo facile demonstrare possit, quoties Christus ipse εργα sua commemoraverit, toties alia nulla praeter σημεια ac τερατα intelligi. Sufficiat, unum illum locum commemorasse, qui c. V. ev. Io. v. 20. exhibetur: ὁ γὰρ πατὴρ φιλεῖ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ, ἃ αὐτὸς ποιεῖ· καὶ μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. „Pater amat filium, et „quaecunque ipse facit, ei ostendit (eum agere iubet docetque), immo his „maiora opera ei ostendet, ita ut miraturi sitis." Qualia sint *haec* εργα (maiora, praestantiora eiusmodi sanationibus aegrotorum, qualem Christus modo perfecerat, Io. 5, 1 — 9.) ex tota patet, quae sequitur, Servatoris oratione v. 21 — 29., ubi praesertim de potestate loquitur, divinitus sibi demandata, hominibus salutem aeternam procurandi. [3]) Quodsi ad ea probe attendimus, quae Christus hoc ipso sermone continuo, a versu inde 19. cap. V. ad eum usque locum, de quo nunc maxime disputatur (v. 36.), elocutus est, discimus inde, quot et quanta doctor divinus cogitando complexus fuerit, quum εργοις a Patre sibi demandatis, ut ea perficeret, testimonium legationis divinae inesse diceret, gravius Ioanneo. Neque enim de factis tantum insignibus (σημειοις), quanquam omnino beneficium Christi homini aegroto die sabbati praestitum huic sermoni Servatoris apologetico opportunitatem suppeditaverat, neque de solo ipsius docendi studio coram Iudaeis ipsum persequentibus egit, sed potestatem potissimum praedicavit a Deo patre sibi concessam, homines, quotquot voci divinae aures praebuerint, cum hoc tempore ad veram animi vitam, veritati ac virtuti consentaneam ducendi, tum olim post mortem vita aeterna donandi eademque felicissima (v. 21 — 29.) Quae cum ita sint, illud etiam (v. 36.) εργα, ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατὴρ etc. *de iis omnibus* intelligere malim, *quae Christus, tanquam Messias, legatus ac filius Dei*, doctrinam saluberrimam praedicando, exemplum virtutis Deo probatae praestantissimum

---

3) Cfr. *Starckii* paraphrasis et commentarius in ev. Io. capita 13 — 17. Ienae, 1814. excursus I. p. 12. ss. Sententias vero interpretum diversissimas de potestate vocabuli εργα in nostro sermone Io. 5, 36. recte intelligenda V. *Kuinoel* recensuit in comment. in libros N. T. historicos, Vol. III. (Lips. 1825.) p. 340. sq.

exhibendo, facta edendo insignia doctrinam adiuvantia, mala denique et aerumnas inter populares perversissimos veritati divinae repugnantes tolerando, *et nunc perficiat, et porro perfecturus sit, ut sectatoribus suis viam salutis aeternae tutissimam muniat.* [4]) Ex his omnibus enim, quicunque animum adferebant, opinionibus praeconceptis non prorsus irretitum, *consilium* pariter atque *auxilium divinum* facile cognoscebant. Et, quanquam ea, quae v. 28. 29. sensu proprio commemoratur, mortuorum omnium resuscitatio ad res *futuras* pertinet, verissime tamen adfirmare potuit (v. 21. 24. sq.) potestatem sibi demandatam, sectatores suos vera salute donandi, *iam nunc re ipsa et facto* comprobari, quum, quotquot ipsum recte audierint, ex morte transierint in vitam (i. e. eiusmodi vitam animi immortalis felicem, eamque perpetuo futuram, qualis est hominum emendatorum, veram Dei naturam, eiusque consilia et voluntatem recte cognoscentium, agere coeperint.) Ceterum, quae h. l. numero usus plurali eloquutus est, eadem locis simillimis Io. 4, 34. 17, 4. (ubi idem verbum τελειουν adhibetur), quum ad unum idemque consilium sanctissimum spectent, ideoque nexu cohaereant intimo, το εργον appellavit. *Eiusdem testimonii* pro legatione Christi diuina ab ipso Deo per εργα Servatoris exhibiti gravitatem haud pauci interpretes (Augustinus, Hilarius, Grotius, alii) verbis v. 37. proxime sequentibus adfirmari existimant: καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ ἀυτὸς μεμαρτυρηκε περὶ ἐμοῦ; ita ut, quod v. 36. enuntiatum fuerat, idem iam breviori quidem, sed magis perspicuo effato repetatur. Quod quum nuperrime recentissimo quoque interpreti, V. *Lückio* (loco nota 4. laud.) probatum videam, agedum, accuratius examinemus. Nexum, quo verba: και ο πεμψας με etc. de iisdem εργοις Christi, quae v. 36. praedicata fuerant, intellecta, et antecedentibus et sequentibus: ὄυτε φωνὴν ἀυτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, ὄυτε εἶδος ἀυτοῦ ἑωράκατε cohaereant, hunc esse volunt: „Ipse profecto pater „Deus, qui me legavit, de me (ipsius legato) testatus est (εργοις illis) ac porro „testatur. [5]) Sed eiusmodi testimonium frustra editur iis, qui neque illam, „quae par naturam et externam et internam fieri solet, Numinis summi eius-

---

4) Eandem sententiam nuper V. *Lücke* probavit in commentario egregio: *Commentar über die Schriften des Evangelisten Ioannes*, 2. *Theil*, *Bonn*, 1824. 8. S. 47.

5) Tempus quippe praeteritum ex usu loquendi Ioanneo haud raro ita adhiberi, ut *simul* perpetuitatem facti involvat, V. *Lücke* verissime monuit, laudandis potissimum locis ev. Io. 5, 45. (ἠλπίκατε) et 20, 29. (πεπίςευκας.)

„que voluntatis revelationem fide amplecti, neque verbo divino scripturae sa-
„crae obsequi recte voluerint. Tales vos estis, Iudaei pertinaces, qui neque „vocem Dei unquam audivistis, nec speciem eius vidistis, i. e. qui omnino „non soletis animum recte attendere ad Deum, et intus ad vos loquentem [6]) „(per conscientiam moralem), et rebus externis varii generis, atque per ipsam „scripturam sacram consilia sua et voluntatem patefacientem. Quod igitur „fidem mihi denegetis, etsi εργα mea de me legato Patris testentur, tantum ab- „est, ut huic testimonio vitio verti debeat, ut vos ipsi soli culpam sustineatis.“ Quanquam in ipsis sententiis, quae, hac ratione admissa, Servatori loquenti h. l. tribuuntur, per se spectatis nihil apparet, in quo lectorem recte offendere dicas; duplici tamen argumento inpedior, quo minus eundem tramitem ingrediar. Nam primum quidem ea, quam supra praeeunte V. Lückio exhibui, totius argumentationis Iesu Christi παραφρασις facile docet, post verba v. 37. μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ, ante: ουτε φωνην αυτου etc., si ea, quam diximus, interpretatio admittatur, sententiam integram cogitando esse supplendam. Quae quidem ellipsis, quum Servator neque h. l., nec in sequentibus aliquid addiderit, quo haec lacuna suppleretur, ni omnia me fallunt, ita comparata est, ut vix credibile sit, argumentationem Christi hoc sensu intelligendam, hac brevitate sermonis enuntiatam, satis perspicuam apparere potuisse Iudaeis audientibus. Atque omnino ingenue profiteor, haud facile me adduci, ut in eiusmodi sermone continuo de sententia integra, ad argumentationem totam recte intelligendam necessaria, ab oratore perspicuitatis studioso prorsus omissa cogitem, quamdiu nexus sermonis alia ratione, et rei naturae, et verbis consentanea facilius explicetur. Deinde ipse, opinor, usus temporis *praeteriti* μεμαρτυρηκε non facile permittit, ut Christum h. l. idem prorsus dixisse censeamus, quod v. 36. tempore *praesenti* adhibito μαρτυρει περι εμου enuntiaverat. Quanquam enim verissimum est, quod interpres eruditus de continuatione actionis, quae iampridem fieri coeperit, perfecto Ioanneo inhaerente observavit (cfr. nota 5.), plerumque tamen forma praeteriti vim suam sibi propriam retinet,

6) Verbum οραν non ubique de iis usurpari, quae, vultus humani instar, sensui *externo* appareant, itemque vocem divinam eos quoque dici audivisse, quibus praesentia et efficacia Numinis Summi per *symbola* externa, aut visiones declarata fuerit, cum alii intt. tum V. Lücke ad h. l. docuerunt. Io. 1, 18. 3, 32. Cfr. Deuteron. 18, 16. Exod. 20, 19.

neque errare mihi videor, ex ipſa hac temporis mutatione (μαρτυρεῖ et μεμαρτύρηκε), praeſertim, quum Ieſus dixerit: πατὴρ ἀυτὸς μεμαρτύρηκε, *discrimen* apparere exiſtimans, quod hanc ſententiam inter et illam v. 36. enuntiatam intercedat. Quod vero interpretibus, qui eiusmodi discrimen agnoſcunt, opponitur, Servatorem v. 36. de teſtimonio legationis ſuae coeleſtis, quod *Deus ipſe* per facta eius et opera exhibeat, non ſatis perſpicue ac definite loquutum eſſe videri, niſi verba v. 37. καὶ ὁ πέμψας με etc. prorſus de eodem teſtimonio explicueris, id mihi quidem neceſſitatem huius interpretationis non potuit perſuadere. Nonne enim Chriſtus, quum v. 36 diceret: τὰ ἔργα, ἃ ἔδωκέ μοι πατὴρ, hoc teſtimonium ἔργοις ſuis exhibitum eſſe *divinum*, ſatis aperte monſtravit, eadem ſermonis perſpicuitate, qua c. 10, v. 25. auctoritatem eiusdem teſtimonii divinam his verbis profeſſus eſt: τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, ταῦτα μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ? De ipſo autem, quod dicimus, et ipſi agnoſcimus, discrimine utriusque ſententiae v. 36 et v. 37. accuratius definiendo diſſentiunt interpretes. Qui verbis: καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ ἀυτὸς etc. ea praedicari exiſtimant, quae olim, quum Chriſtus Ioanne baptiſta miniſtrante immerſionem ſacram ſubiiſſet, Deo volente palam teſtata fuerint, hunc Ieſum eſſe filium Dei (Io. 1, 32. Matth. 3, 16. ſq. Marci 1, 10. ſq. Luc. 3, 22.) hac potiſſimum difficultate premuntur, quod Chriſtus de illo legationis ſuae coeleſtis teſtimonio divino, quum locis evangeliſtarum laudatis praeeuntibus *ipſi tantum Servatori et Ioanni* baptiſtae contigiſſet, parum recte h. l. coram Iudaeis adſtantibus univerſe haec eloqui potuit: Pater ipſe de me teſtatus eſt. Neque profecto, ſi v. 37. de illa voce divina tempore immerſionis Chriſti ſacrae edita cogitaſſet, Iudaeis adſtantihus *vitio vertere* potuiſſet, quod ſtatim ſequitur: οὔτε φωνὴν ἀυτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος ἀυτοῦ ἑωράκατε. Ad veritatem proxime acceſſerunt, qui v. 37. *de prophetarum V. T. effatis ad Meſſiam ſpectantibus* ſermonem eſſe exiſtimant, de iisdem γραφαῖς, de quibus Servatorem v. 39. perſpicuitate ſumma haec audimus profitentem: καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. [7]) Hac enim ra-

---

7) Hanc rationem Cyrillus, Theophylactus, Calvinus, Vitringa, Kuinoel et alii praeiverunt. Neque defuerunt, qui Servatorem partim de illa voce divina, tempore quo per Ioannem baptiſtam Iordani fluvio immergeretur, edita, partim de oraculis prophetarum cogitaſſe ſtatuerent. Cfr. *Martini* comment. in ev. Io. caput V. eiusque v. 31 — 39. Coburgi, 1771, 4.

tione probata, praeterito μεμαρτυρηκε vim ei propriam egregie vindicamus. Neque in eo offendimus, quod non pateat, quo ſenſu ac iure doctor divinus de hoc tantum teſtimonio, in ſcriptura ſacra V. T. exſtante, neque item de illo, quod εργα ſua exhibeant (v. 36) dixerit, ipſum Deum patrem huius μαρτυριας eſſe auctorem, tanquam ſi haec prophetarum effata maiori magisve perſpicua gauderent auctoritate divina. Facile enim haec dubitatio evaneſcit, ſi modo perpenderimus, effatum Chriſti, quod v. 37. exſtat, non debere (quod vulgo interpretes faciunt, qui hanc de μαρτυρια v. 37. commemorata perſuaſionem mihi quoque probatam ſequuntur) ab eo, quod proxime antecedit, ita ſeiungi, ut Chriſtus his verbis *prorſus aliud* legationis ſuae coeleſtis argumentum protuliſſe exiſtimetur. Immo verba: καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ αὐτὸς etc. cum v. 36. eo nexu cohaerent intimo, qui haec omnia una eademque argumentatione complectitur continua. Quanquam enim facta et opera Servatoris (εργα eo, quem ſupra diximus, ſenſu intelligenda) legationi eius divinae comprobandae omnino *iam per ſe ſpectata* inſerviebant; hoc tamen loco, quum Chriſtus ad Iudaeos loqueretur, auctoritatem ſummam ſcripturae V. T. tribuentes, eosque legationem ipſius divinam agnoſcere nolentes, quos ex ſua ipſorum perſuaſione refutare conſtituerat, id potiſſimum agendum putavit, ut iis oſtenderet, *εργα ſua, ſcripturae V. T. Meſſiam futurum innuenti et praedicanti comparata, teſtimonium pro auctoritate sua et legatione coeleſti ab ipſo Deo exhibitum continere luculentiſſimum.* Docebat Iudaeos, *ſe factis ſuis operibusque profecto talem ſe gerere, qualem prophetae V. T. adumbraſſent*, Meſſiam et Servatorem divinitus ad homines miſſum. Illius igitur teſtimonii divini, quod partim ſupra v. 32. innuerat: ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ (ne quis obiiceret, fidem ſibi propterea denegandam eſſe, quod ipſe in cauſa ſua *ſolus* teſtis prodiiſſet), partim v. 36. iterum annuntiaverat (interpoſitis illis ad teſtimonium Ioannis baptiſtae ſpectantibus v. 33. 34. 35.) ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου, illius, inquam, teſtimonii a Deo patre exhibiti natura et indoles vera iis omnibus, quae porro ad verſum usque 40. ſequuntur, amplius explicatur atque illuſtratur, quae quidem explicatio rei uberior verſu 36. τὰ γὰρ ἔργα, ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατὴρ etc. tantummodo *inchoata*, verſu 37. ſeqq. continuatur et abſolvitur. Iam facile patet, quare Ieſus de una eademque re, de Deo, legationem ſuam coeleſtem teſtante, et tempore praeſenti (v. 36. μαρτυρεῖ) et forma praeteriti (v. 37. μεμαρτύρηκε) uſus fuerit. *Opera*, ait, *quae Pater mihi demandavit, ut ea perficerem, ipſa haec opera, quae edere ſoleo,*

de me a Patre legato testantur. Itaque Pater ipse (iam olim) *de me testatus est* (per illa prophetarum effata, quae iam eventu comprobari videtis, si modo ad εργα mea animum recte attenderitis.) Quae doctores V. T. πνευματος αγιου participes de rebus divinis eloquuti fuerant, *ipsius Dei* verba s. effata appellari, neminem fugit. Cfr. Io. 10, 35. Matth. 15, 4. An forte hanc rationem nexus sententiarum interpretandi propterea duriorem aut arbitrariam dixeris, quod Iudaei adstantes, quo verba Christi: καὶ ὁ πέμψας με — περὶ ἐμοῦ tenderent, nisi statim adderetur εν ταις γραφαις s. δια στοματος των προφητων, intelligere non potuissent? Equidem non negaverim, effatum Servatoris per se spectatum obscurius videri potuisse his auditoribus. Verum enim vero, quis neget, alia multa exstare huius docendi et argumentandi rationis Iesu Christo familiaris exempla, qua res tradenda ita proponitur, ut sententia doctoris divini primum quidem ambiguitatem quandam vel obscuritatem habere videatur, animos audientium percellentem eosque ad meditandum excitantem, lucem plenissimam ex iis demum lucratura, quae vel eodem tempore et loco porro additurus, vel alio loco ac tempore de eodem argumento enuntiaturus esset? Laudasse sufficiat loca Io. 8, 38. ὑμεῖς οὖν, ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε (sub quo quidem patre illorum Iudaeorum diabolum a Servatore intelligi, infra demum v. 44. aperte profitetur), Io. 8, 21, ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν (cfr. Io. 13, 33. seqq.) Similiter, quae h. l. per se spectata diversimode intelligi poterant: καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ αυτὸς etc. v. 39. ita explicantur [8]), ut omnis dubitatio evanescat: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς etc. Priusquam vero hac ratione sententiam effati sui accuratius interpretaretur, Iudaeos fidem sibi denegantes ad illam animi perversitatem attentos reddere voluit, quae ipsos inpediebat, quo minus, etsi Pater iampridem testimonium pro legatione sua coelesti edidisset, hanc suam auctoritatem recte agnoscerent. Proinde verba addidit: οὔτε φωνὴν αυτοῦ ἀκηκόατε πώποτε οὔτε εἶδος αυτοῦ ἑωράκατε. Vix putaverim, his universam inesse sententiam de natura Numinis Summi invisibili, neque omnino sensibus humanis percipienda, quae partim antecedentibus partim sequentibus: καὶ τὸν λόγον αυτοῦ etc. hac ratione cohaereat: Ipse pater de me testatus est, quanquam vocem eius nunquam audivistis, neque speciem vidistis; at vos sermonem eius (in litteris sacris pronuntiatum) non habetis in animis vestris manentem etc. Etenim, ut omittam, observationem illam, quam

---

8) Verissime hoc vidit V. *Kuinoel* in comment. laud. p. 342.

verba: ουτε φωνην etc. hoc modo explicata enuntient, in hac orationis serie frigidiorem et supervacaneam videri, ipsa profecto copula και, quae membrum sequens, (quo summa animi Iudaeorum illorum perversitas reprehenditur), τὸν λόγον αυτοῦ etc. priori coniungit, satis aperte docet, *utraque* Christi enuntiatione aliquid contineri, quod Iudaeis *vitio vertatur*. Quomodo autem vitio iis verti poterat, quod sensu proprio nunquam vel aliquam vocem Spiritus summi audivissent, vel figuram Dei invisibilis conspexissent? Immo, quemadmodum in libris V. T. Deum vel audivisse vel vidisse dicuntur, quibus Numen summum praesentiam suam, efficaciam, voluntatem singulari quadam perspicuitate patefieri iusserat (cfr. nota 6.), ita etiam Servator h. l. perversitatem Iudaeorum notaturus verbis usus est, non omnino sensu proprio intelligendis: vos (pro vestra cogitandi et sentiendi ratione) illius Dei (qui iampridem de me testatus fuerat) institutionem et revelationem, diversimode vobis oblatam, nunquam ea, qua par esset, diligentia ab opinionibus praeconceptis libera cognoscere voluistis. Deinde, quod modo figurate de quovis genere revelationis divinae dixerat, verbis maxime propriis usus ad eam potissimum institutionem divinam transtulit, quae litteris sacris V. T. continetur: καὶ τὸν λόγον αυτοῦ ουκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν· ὅτι ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος, τούτῳ ὑμεῖς ου πιστεύετε. *Itaque etiam sermonem eius non habetis in vobis manentem, siquidem, quem ille misit, ei fidem non habetis.* Eodem sensu ο λογος του θεου de effato divino in litteris sacris V. T. exstante Io. 10, 35. dicitur, soletque verbum μένειν in scriptis Ioanneis praesertim usurpari, ubi de persuasione quadam, sive cogitandi et sentiendi ratione sermo est, quam aliquis lubenter et toto pectore amplexus fuerit, teneatque firmam et inconcussam, ita ut ea in mente hominis *maneat* (Io. ev. 6, 27. 15, 7. 11.) sive homo eam in animo suo *habeat teneatque manentem*, 1. ep. Io. 3, 15. Quam parum Iudaei illi, doctrinam Christi repudiantes, animum applicuerint ad λογον Dei recte intelligendum, accurate investigandum, atque iis, quae nunc per Christum fieri solebant, comparandum, ipsi aperte profitebantur fide deneganda ei, quem Deus ad homines legaverat. Quam fidem profecto non denegassent, si eo, quo par esset, animo, absque omni opinione praeconcepta et arrogantia vana, quae Christus coram iis quotidie et docebat, et agebat, cum illis litterarum divinarum effatis comparassent, quae dudum Servatorem quendam futurum, auctorem verae Dei cognitionis ultra fines Iudaeae angustiores longe lateque proferendae, sacrorumque emendatorem, adumbraverant. His praemissis doctor divinus verbis docet maxime perspicuis, in litteris sacris illud exstare (v. 37.) testimo-

nium, pro auctoritate sua iampridem a Deo patre exhibitum, quod Iudaei (si modo animum recte attendere, et illam Servatoris adumbrationem propheticam cum doctrina et εργοις Christi conferre voluerint) agnoscere facile possint. V. 39. 40. ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν ἀυταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν· καὶ ἐκεῖναί εισιν ἅι μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ· καὶ ὀυ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε. *Scrutari soletis* (ut ipsi dicitis) *scripturas sacras, siquidem, iis utentes, vitam beatam aeternam vos possidere existimatis. Hae vero sunt, quae de me testentur. Neque tamen ad me accedere vultis, ut vitam beatam aeternam vere possideatis.* Quanquam forma ἐρευνᾶτε est ambigua, ita ut Christus vel, imperativo usus, Iudaeos adstantes ad scripturam sacram sedulo investigandam et recte intelligendam exhortari voluisse, vel, quam scripturae sacrae investigationem Iudaici legum doctores re vera ab ipsis fieri iactitare solebant, commemorasse existimetur (modum adhibens indicativum); reliqua tamen utriusque commatis oratio multo potius iis interpretibus favet, qui posterius praeferunt.[9]) Profecto enim, quae statim sequuntur: οτι υμεις δοκειτε etc., ita sunt enuntiata, ut satis dilucide causam proferant et rationem, *quare* Iudaei (ut ipsi certe dicebant) litteris sacris perscrutandis operam navent; nec video, quomodo haec tota enuntiatio illis: ἐρευνατε τας γραφας (si haec verba *cohortantis* esse putentur), nisi per ambages, connectatur. Deinde etiam *antithesis* observanda est, qua verba postrema: καὶ ὀυ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε membro priori: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν ἀυταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν opponuntur. Illud, inquam, (quod vulgo legum doctores sibi vindicabant) studium litteras sacras interpretandi, et, quae ibi patefacta fuerit, voluntatem divinam cognoscendi, quo compotes fierent salutis in regno Messiano exspectatae, pervicaciae opponitur, qua iidem Iudaei ad Christum accedere nolebant, fidem denegantes Servatori, litteris illis sacris adumbrato, auctori illius felicitatis, cuius inpetrandae causa γραφας αγιας perscrutandas esse ipsi profitebantur. Cuius antitheseos, quam parum hi Iudaei sibi constent, quantopere ipsi consilio suo ac principio repugnent, egregie demonstrantis, acumen et gravitatem facile patet prorsus evanescere, si verba: ερευνατε τας γραφας, cohortationem sive praeceptum eloqui dixeris. Quod vero causam attinet primariam, quare haud pauci interpretes huic ερευνατε sensum indicativi h. l. vindicare

9) Usum indicativi nequaquam postulasse, ut υμεις adderetur, plures huius l. interpretes verissime observarunt. Cfr. Io. ev. 7, 34. 14, 28.

noluerint, parum quippe intelligi docentes, quomodo Chriſtus concedere potuerit, hos Iudaeos (ipſi, de quo iampridem Pater per litteras ſacras teſtatus fuerit, fidem habere nolentes) libros illos ſacros re vera diligenter inquirere; eiusmodi contradictio profecto nulla apparebit, ſi modo perpenderimus, Servatorem h. l. rationem potiſſimum habuiſſe illorum legis doctorum (γραμματεων), qui ſuam librorum V. T. peritiam eosque interpretandi facultatem haud parum iactitarent; Io. 7, 52. quanquam haud raro ipſius Ieſu Chriſti ſermonibus in anguſtias redigerentur, Matth. 22, 41 — 46. Dum Iſsus, verbo uſus, quod ipſi de ſtudio ſuo litteras ſacras perſcrutandi adhibebant, eos γραφας αγιας ερευναν concedebat, minime etiam hoc largiebatur, eos hoc ita facere, ut ſenſum γραφων αγιων *recte* explorent, animumque adferant nec opinionibus vanis irretitum, nec voluntate perverſa inpeditum. Solebat quippe illud ερευναν (cfr. Kuinoel l. l. p. 343.) de quavis inquiſitione uſurpari, ſive omni ex parte recte ac diligenter fieret, ſive negligentior eſſet, et ab aliquo partium ſtudio penderet. Proinde doctor divinus, qui tantum aberat, ut rem ipſam per ſe ſpectatam (το ερευναν γραφας αγας) reprehenderet, aut parvi exiſtimaret, ut ipſe ad effata V. T. ſaepenumero provocaret, iisque divinam vindicaret auctoritatem, Iudaeis adſtantibus animum coecum et perverſum hac ratione vitio vertiſſe exiſtimandus eſt: *vos ſcrutari ſoletis, ut ipſi dicitis,* (egregie quidem, ſi modo recte fiat!) *ſcripturas ſacras,* ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν ἀυταῖς ζωὴν ἀιώνιον ἔχειν. Haec verba duplicem admittunt interpretationem. Quum neminem fugiat, ἐν ſequente Dativo in libris ſacris N. T. ex hebraiſmo ſaepenumero uſurpari, ubi *per* aliquem, ſive *ope, auxilio, uſu* rei cuiusdam aliquid fieri dicitur, itemque, tempus praeſens, de re *certo* eventura poſitum, vices gerere temporis futuri (cfr. S. V. *Winer Grammatik des neuteſtamentlichen Sprachidioms, 2. Auflage. Leipzig,* 1825. *p.* 158. *p.* 115.), nihil omnino prohibet, quo minus eam, quae vulgo probatur, huius effati explicationem teneamus: ſiquidem perſuaſum vobis habetis (δοκειν non tantum dicuntur vana opinantes, Marci 6, 49. Io. 11, 13. ſed etiam recte iudicantes, Luc. 17, 9. 1. Cor. 7, 40), vos per illas (libris divinis diligenter legendis, cognoſcendis, obſervandis) vitam beatam in regno Meſſiano conſequuturos eſſe. Equidem vero ad ſententiam Chriſti ita propius accedere mihi videor, ut partim praepoſitioni εν h. l. vim ſuam propriam vindicem, partim notionem temporis praeſentis accuratius teneam, non excluſa quidem cogitatione rei in perpetuum futurae. Ni omnia me fallunt, illud δοκειτε, quod vocabulum, ut ſupra diximus, eſt ambiguum, h. l. pariter perſuaſionem horum Iudaeorum

verissimam innuit de scriptura divina verae salutis fonte, ac vanam eorundem opinionem, qua sibi egregie sapere videbantur, quum, illas γραφας legentes et interpretantes, sua sequerentur placita arbitraria, neque eum agnoscere vellent Servatorem, quem scripta prophetica dudum adumbrassent: *siquidem existimatis, vos in his litteris sacris* (i. e. *his instructos et ea, qua inter vos fieri solet, ratione iis utentes,* quo sensu ἐν αἵματι ep. ad Hebrr. c. 9, v. 25. dicitur: sanguinem habens s. adferens, cum sanguine) *vitam beatam aeternam iam possidere* [10]), *hanc salutem vobis, scripturam s. indagantibus* (neque vero ad mea ρηματα et εργα attendentibus) *esse certissimam, tanquam si iam coeperitis compotes fieri regni Messiae. Atque haec ipsa scriptura de me Servatore divinitus legato testatur, ad me potissimum animos vestros convertit, quem ducem sequamini, ut ad salutem illam in litteris sacris promissam vere perveniatis. Neque tamen* (de usu adversativo, quem και obtinet vd. ev. Io. 1, 10. 3, 32. 6, 36.) *ad me accedere,* (*doctrinae meae ac disciplinae vos tradere,* cfr. Luc. 6, 47. Io. 6, 35.) *vultis, ut vitae beatae vere compotes reddamini.*

10) Idem V. Lücke innuere voluisse videtur, quum verba Christi in versione vernacula volumini secundo commentarii addita p. 523. hac ratione exprimeret: *ihr forschet in der Schrift, weil ihr meinet, darin das ewige Leben zu haben.*

JESU CHRISTI

EX MORTUIS VITAE RESTITUTI

SOLLENNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

ACADEMIA JENENSIS.

De prooemio evangelii Lucae eiusque usu in quaestione de fontibus evangeliorum tractanda

disserit

HENRICUS AUGUSTUS SCHOTT,

THEOL. D. ET PROF. ORDIN.

IENAE,

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

MDCCCXXVIII.

CAROLUS AUGUSTUS

DEI GRATIA

MAGNUS DUX SAXONIAE,

VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCEPS, LANDGRAVIUS THURINGIAE, MARCHIO, MISNIAE, PRINCIPALI DIGNITATE COMES HENNEBERGAE, DYNASTES BLANKENHAINII, NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMUS,

S. D.

CIVIBUS,

EOSDEMQUE GRAVITER HORTATUR,
FESTIS DIEBUS
UT
ANIMUM ATTOLLANT AT BONA INVISIBILIA ATQUE AETERNA, PER CHRISTUM VITAE RESTITUTUM, IMMORTALITATIS PRAECONEM DIVINUM, VINDICATA.

Quaeſtionem recentiori aevo multum diuque agitatam de auctoribus evangeliorum noſtrorum canonicorum, an recte dicantur ad conſignandos commentarios ſuos *evangelii* cuiusdam (quod vulgo *primitivum* dicerent) *ſcripti plurimve* eiusmodi *documentorum* brevium litteris proditorum uſum feciſſe? quotquot ſobrie iudicant, ita tractandam eſſe conſenſu profitentur unanimi, ut neque coniectura admittatur, quae ab indole et ingenio illius temporis, illiusve ſcriptorum generis abhorreat, neque aliquid negligatur, ſive in ipſis litteris ſacris, ſive extrinſecus obvium, cui tanquam veſtigio inhaerere liceat, ut viam ſaepenumero lubricam firmiori pede perſequamur. Verum, quod in re critica frequenter accidit, ut eadem argumentatio in partes trahatur diverſiſſimas, id etiam ii experti ſunt, qui indolem ipſam horum commentariorum et oeconomiam tanquam fundamentum poſuerunt, cui ſententiam de fontibus evangeliorum propoſitam ſuperſtruerent, aliis quidem ad totum narrandi modum, quem Matthaeus, Marcus, Lucas adhibuerunt, ad nexum ſingularum cuiusque libri partium, ad convenientiam horum ſcriptorum, discrepantiae multiplici coniunctam provocantibus, ut eos *documentis ſcriptis* uſos fuiſſe ostenderent, aliis eodem argumentandi genere probantibus, evangelia noſtra ex iis potiſſimum promanaſſe, quae primum apoſtoli, deinde adiutores eorum atque diſcipuli, modo prolixius, modo brevius, de Ieſu Chriſto *ore* tradidiſſent. Quae quum ita ſint, veriſſime etiam intellectum eſt, cum eiusmodi veſtigiis rei internis ſedulo comparandum eſſe, quodcunque apparuerit antiquitatis Chriſtianae teſtimonium, ſermone perſpicuo editum, cuius ope, quae fuerit ratio evangeliſtarum noſtrorum in conſignandis commentariis, explorari amplius poſſit. Et in ipſis quidem ſacris de vita Chriſti commentariis exſtat eiusmodi locus, qui nobis hac in re ſubſidium aliquod externum adferre videatur, prooemium evangelii Lucae. Sed huius quoque teſtimonii uſum fieri admodum diverſum experiundo cognoſcimus, quum neque omnes loci interpretes concedant, evangeliſtam his verbis documenta, quae ſibi ad manus fuiſſent, ſcripta indicaſſe,

A 2

neque de eo consentiant, utrum Lucas (si narrationes de Christo *litteris consignatas* intellexisse existimetur) de evangeliis testium vitae Iesu oculatorum, qualis Matthaeus esset, an de scriptis aliorum auctorum cogitaverit. Constituimus igitur, prooemio Lucae, quanta fieri possit, interpretationis grammaticae et logicae subtilitate perlustrando, accuratius docere, *quousque* usum huius testimonii facere liceat in quaestione critica de fontibus evangeliorum, Lucae potissimum, disceptanda.

Quo consilio commentarium, qui v. 5. c. 1. incipit, de rebus Christi, Theophilo potissimum, amico Christiano exhibendum adgressus fuerit, ostendit scriptor prioribus quatuor commatibus, plena verborum membrorumque comprehensione (periodo, cuius exempla raro in evangeliis obveniunt, cfr. Luc. 3, 1. 2. 6; 13 — 17.) enuntiatis: Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου· ἔδοξε κἀμοὶ, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε, ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Quae protasin periodi exorditur vocula ἐπειδήπερ, praeter nostrum locum in N. T. nunquam obvia, apud profanos Graeciae auctores subinde (v. c. Thucyd. 8, 78.) ita legitur, ut pariter tempori notando inserviat (*posteaquam*), atque causae indicandae (*quandoquidem*), quanquam frequentius επει et επειδη dicitur. Επιχειρειν (manum admovere), sequente vel dativo aut accusativo rei, vel infinitivo actum indicante, dicuntur, qui aliquid adgrediuntur, suscipiunt, conantur. Platonis Criton c. 5. Aeschinis dial. socr. 2, §. 12. Ex N. T. scriptoribus unus habet Lucas Actt. 9, 29. 19, 13. Quanquam non dixerim, ubique de rebus tantum arduis adhiberi, exprimere tamen solet aliquam rei, de qua sermo est, *gravitatem*, nec prorsus abundat, ut: susceperunt dicere aut scribere, nil valeat, nisi: dixerunt, aut: scripserunt. Notio collocandi, ordinandi, disponendi, quam verbum simplex τασσειν obtinet, composito, quod rarius occurrit, ανατασσεσθαι (cfr. Plutarchi opp. T. VII. p. 161. ed. Hutten.) ita amplificatur, ut hoc *singularem* depingat *diligentiam* hominis, vel singula quaevis, unum post alterum, accurate disponentis (solet quippe ἀνὰ in distribuendo adhiberi), vel aliquid iterata cura lustrantis et ordinantis, quam iterandi potestatem in verbis compositis αναγινωσκειν, αναγενναν, aliisque habet. In promtu est, de iis sermonem esse, qui res gestas

(πραγματα) secundum ordinem certum enarrando persequi instituerint. In utramque vero partem disputatur, utrum Lucas de eiusmodi narratione, quae *ore* fiat, [1]) an de ea, quae *litteris consignetur*, cogitaverit. Substantivum διηγησις utramque sententiam admittit. Quanquam enim verbum διηγεισθαι, quoties in *libris N. T. historicis* occurrit (Marci 5, 16. 9, 9. Luc. 8, 39. 9, 10. Actt. 8, 33. 9, 27. 12, 17.) ubique eum indicat, qui *loquendo* aliquid exponit, in epistola tamen ad *Hebraeos* 11, 32. de *scribente* adhibetur. Similiterque διηγησις, quod απαξ λεγομενον est in scriptis N. Foederis, non tantum id, quod *sermone* enuntiatur (cfr. LXX. iudd. 7, 15. secundum lectionem cod. Vatic. ubi de explicatione somnii agitur, s. Sirac. 6, 35. ubi διηγησις θεια dictum est ad religionem pertinens), sed etiam *mandatum scriptum* (iudd. 5, 14. LXX. cod. Vatic.) et *historiam litteris consignatam* (2. Maccabb. 2, 32.) innuit. Attamen tota haec locutio: ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν, (cfr. quae supra de utroque verbo observata sunt), eiusmodi operam et diligentiam componendi et ordinandi involvit, quae scriptioni magis propria sit, quam narrationi ore traditae. Alia argumenta, quae suadeant, ut Lucam de *scriptoribus* loquutum fuisse censeamus, posthac cognoscemus. Rariorem phrasin usurpavit noster in commemoranda huius διηγησεως materia: περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Πληροφορειν, quod praeter scriptores sacros apud *Isocratem* (si lectio vera est) in λογω τραπεζιτικω p. 626. ed. Lang. occurrit, et in Persicis Ctesiae c. 39. praeeunte quidem etymo, i. q. *aliquid plenum ac totum ferre* s. *proferre*, ita ferre, s. proferre, ut totum sit et plenum. Huic potestati adnectitur facile notio *plenum reddendi* s. *inplendi* aliquid, eamque omnibus iis N. T. locis, ubi vel activum vel passivum huius verbi legitur, accommodatissimam putaverim. Nam διακονίαν πληροφορεῖν 2. ad Timoth. 4, 5. haud dubie dicitur, qui facit, ut haec diaconi provincia, s. administratio huius provinciae plena appareat et integra, i. e. qui omni ex parte huic muneri satisfacit. Aliis locis de homine usurpatur, *qui cogitatione quadam, persuasione, propensione totus est inbutus*, praesertim, (quo sensu loco Isocratis supra laud. legitur), cui persuasio firmissima contigit, ep. ad Romm. 4, 21. 14, 5. Eccles. 8, 11. LXX. Substantivo πληροφορια, apud

---

1) Huic sententiae praesertim V. *Paulus* nuperrime calculum addidit in libro egregio: *theologisch - exegetisches Conservatorium erste Lieferung, Heidelberg*, 1822. p. 124. sqq.

auctores profanos nunquam obvio, in N. T. aliquoties plenitudo, integritas rei indicatur, Coloff. 2, 2. Hebrr. 6, 11. 10, 22. (cognitio, perſuaſio, ſpes plena, certa, firma), 1. Theſſalonn. 1, 5. (efficacia evangelii plena.) Itaque haud pauci interpretes, quibus ipſe in mea librorum N. T. verſione latina calculum addideram, ſenſum totius phraſeos: διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων etc. hunc eſſe exiſtimant: *narrationem rerum geſtarum, quae nobis certo ſunt perſuaſae* (ἐν ἡμῖν i. q. in animis noſtris) ſ. quae nobis compertiſſimae ſunt. Verum, quod *homo*, cui perſuaſio certa contigit, recte appellatur πληροφορηθεὶς (cfr. loca ep. ad Romm. ſupra laudata), id non demonſtrat, etiam *res ipſas*, de quibus alicui certo perſuaſum ſit, potuiſſe πραγματα dici εν τινι πεπληροφορημενα. [2]) Contra, qui πραγματα πεπληροφ. pro ſimplici: *res geſtae* accipiunt, perperam negligunt, quam huic verbo proprie ineſſe vidimus, perficiendi, ſ. inplendi notionem. Immo res geſtae, de quibus Lucas cogitat (ad Chriſtum eiusque vitam ſpectantes, quas ipſe evangelio ſuo tractaturus erat) dicuntur πεπληροφ. πραγματα, *res perfectae, plane abſolutae, conſummatae, quatenus tota earum ſeries continua ſpectatur*, ab initio inde usque ad diſceſſum Chriſti ex his terris. Quam cogitationem animo Lucae h. l. obverſatam eſſe, ex eo inſuper colligere licet, quod v. 2. ſcripſit: καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς etc. et V. 3. ἔδοξε κἀμοὶ, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν — καθεξῆς etc. Proinde ἐν ἡμῖν i. q. *inter nos*, ſpectantibus audientibusque nobis, hoc noſtro tempore, Io. ev. 1, 14. Actt. 4, 34. Diſſentiunt porro interpretes de verbis v. 2. καθὼς παρέδοσαν etc. atque de nexu, quo haec enuntiatio priori cohaereat. Ipſa quippe vocula καθως diverſimode intelligi poteſt. Videamus, quo ſenſu in ſcriptis *Lucae* potiſſimum adhibeatur. Quotquot obveniunt huius particulae ſignificationes, ad unam eandemque redeunt poteſtatem eius principem, ex ipſa origine (κατα et ως) facile eluceſcentem: *ſecundum quod*, ſ. ſecundum rationem ac modum huius illiusve rei aut dicti. Itaque aliis locis *ſimilitudinem* ſive *aequalitatem* huius illiusque eventi, ſtatus, facti declarat, Lucae ev. 11, 30. 17, 26. (de ſimilitudine), Luc. 24, 39. Actt. 10, 47.

2) Ponitur potius, quam demonſtratur, loco 2. Timoth. 4, 17. exemplum ineſſe huius loquendi rationis luculentiſſimum. Nam, quod ibi legitur κηρυγμα de Chriſto πληροφορεισθαι per Apoſtolum, ſatis commode ita intelligi poteſt praeeuntibus verbis, quae ſequuntur, ut *efficaciam ſuam pleniſſimam exſerere*, et hac ratione veluti *inpleri* dicatur.

15, 8. 22, 3. (de [3]) aequalitate); aliis *proportionem* quandam five *confenfum* innuit, ubi docetur, aliquid geftum effe, quod dicto cuidam refponderet (quo eventum haberet), five, aliquid dictum effe, quod facto cuidam congrueret, f. prouti mandatum fuiffet, f. prouti conveniret facultati et poteftati hominis, Luc. ev. 2, 20. 23. 5, 14. 19, 32. 22, 13. 24, 24. Actt. 7, 42. 11, 29.; aliis denique *una cum fimilitudine* f. *aequalitate declaranda*, f. *una cum proportione et convenientia duarum rerum exprimenda etiam caufam rei indicat, vel argumentum veritatis eorum, quae dicta funt* (fiquidem ex ipfa rerum fimilitudine, aequalitate, convenientia faepenumero vel caufa facti, vel argumentum veritatis dicti perfpicitur), Lucae ev. 6, 31. 11, 1. 22, 29. (ubi de caufa dic.), Luc. 1, 55. 70. Actt. 2, 4. 22. 7, 44. 48. 15, 15. (de argumento veritatis.) [4]) Haud pauci interpretes, qui v. 1. πραγμάτα πεπληροφ. εν ημιν res geftas, quae Chriftianis certo fint perfuafae, indicare exiftimant, evangeliftam verbis: καθως παρεδοσαν etc. docere volunt, *qua de caufa*, five *quo iure* πραγματα illa appellaverit πεπληροφορημενα: quum multi iam inftituerint ex ordine perfequi (contexere) narrationem rerum, quae nobis certo *perfuafae funt fecundum id*, quod teftes oculati de his rebus exhibuerunt, f. *propterea* (certo perfuafae) *quod* teftes oculati eas tradiderunt etc. Verum, ut taceam (quod fupra vidimus) praedicatum πεπληροφ. aliter omnino intelligendum effe, ipfa conftructio verborum ita fe habet, ut haec enuntiatio: καθὼς παρέδοσαν etc. minus commode ad folum illud *interiectum* πεπληροφορημενων referatur, quam ad totam phrafin: ἐπεχείρησαν πολλοὶ ἀνατάξασθαι etc. Praeftat, καθως vertere: *prouti*. Declaratur quippe *convenientia* quaedam eorum, quae illi (πολλοι) fcribendo expofuerint, cum iis, quae αυτοπται (teftes oculati, cfr. Polyb. 1, 4. 7.) de his rebus tradidiffent. [5]) De ufu verbi παραδιδοναι lubentiffime quidem con-

---

3) Huc etiam pertinet locus Actt. 15, 14. fic intelligendus: expofuit Simeon fecundum id, quod Deus fecit, quum homines benevole vifitaret etc. Declaratur aequalitas (convenientia) narrationis ipfiusque rei geftae.

4) Hoc genere comprehenditur etiam locus Actt. 7, 17. ubi aliquid fuo tempore accidiffe dicitur accommodate promiffo divino.

5) Si καθως h. l. *folam comparationem* duplicis illius narrandi generis (του ανατασσ. διηγησιν, atque του παραδιδοναι) innuere putetur: quum multi iam inftituerint *fcribendo* illas res complecti, quemadmodum teftes oculati *fermone* eas tradiderunt, vereor, ne fententia prodeat frigidior et propemodum otiofa.

cedimus D. KOENIGSMANNO, [6]) apud Iosephum aliosque auctores haud raro de iis dici, qui *litteris* s. *scriptura* aliquid tradant. In libris autem *novi foederis*, quoties hoc verbum de *docentibus*, *praecipientibus*, *narrantibus* adhibetur, ubique est i. q. *ore tradere*. Cfr. Marci 7, 13. 1. Corr. 15, 3. al. [7]). Ex industria Lucas h. l. neque εγραψαν posuit, quo v. 3. de semetipso usus est, evangelium scripturo, neque eandem phrasin iteravit, quam v. 1. legimus (ανατασσ. διηγησιν), sed verbo παραδιδοναι usurpando satis dilucide docuit, commate secundo non scriptores intelligi, sed eos, ex quorum narrationibus ore enuntiatis et ipsi Lucae et aliis Christianis historia Christi innotuerit. Hi porro dicuntur fuisse ὁι ἀπ᾽ ἀρχῆς ἀυτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου. υπηρετης, quod apud Graecos proprie de genere quodam remigum in usu fuit, qui in navibus maioribus essent, sensu latiori ad ministros publicos translatum est (v. c. ad exactores poenarum, Matth. 5, 25. et synagogarum ministros, Luc. 4, 20.) Cfr. de hoc voc. selecta e scholis Valquenarii ad libros quosdam N. T. ed. Wassenbergh, T. I. (Amstelod. 1815.) p. 10. sqq. In libris N. T. de Apostolis quoque dicitur, quatenus Christi sunt ministri, causae eius inter homines adiuvandae inservientes, 1 Corinthh. 4, 1. Eodemque sensu h. l. apostolos, omninoque familiares Christi, qui testes oculati vitae eius inter homines actae fuerint, sermonibusque suis hac de re alios edocuerint, υπηρετας appellari, docet, quod additur: τοῦ λόγου. Constat quippe, λογος in N. T. et ipsam dici doctrinam divinam (Marci 2, 2. 4, 14. Luc. ev. 5, 1. Actt. 6, 4.) et institutionem huius doctrinae, Actt. 4, 4. Jo. 17, 20. Argumenta plura obstant iis interpretibus, qui λογου h. l. idem esse existimant, quod πραγματων (v. 1.), ad utrumque substantivum, et αυτοπται et υπηρεται, hoc modo referendum: qui ab initio fuerunt testes oculati harum rerum gestarum, atque socii (i. q. qui partes quasdam in his rebus gerendis habuerunt.) Nam primum quidem, si evangelista sub λογου illa πραγματα intelligeret, numerum, opinor, pluralem των λογων rectius adhibuisset. Deinde non dixerim, substantivum λογος unquam in N. T. ex usu hebraici דָּבָר pro πραγμα simpliciter esse positum. Quaecunque adferri solent

6) Cfr. KOENIGSMANN prolusio de fontibus commentariorum sacrorum, qui Lucae nomen praeferunt, Altonae, 1798. p. 6. sq.

7) Neque locus Actorum 6, 14. (τὰ ἔθη, ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς) necessitatem adfert verbi παραδιδοναι aliter intelligendi, quum Moses, quae primum civibus suis *loquendo* praecepisset, (deinde ex parte quidem litteris prodita, et ab una aetate ad alteram propagata), recte dici posset in usum posterorum omnium ore tradidisse.

effata, ut haec sententia probetur, [8]) ex ea vocabuli potestate, qua orationem, sermonem, narrationem innuit, intelligi recte possunt [9]). Denique non probatum est, υπηρετην dici posse, qui *socius fuerit* in re gerenda, ac tota phrasis υπηρετης του λογου, *hoc sensu* intellecta, exemplis destituitur. Immo, quemadmodum ad vocem αυτοπται ex v. 1. supplendum est πραγματων, ita του λογου ad solum voc. υπηρεται grammatice referendum: qui testes oculati (harum rerum) fuerunt, et ministri doctrinae s. institutionis divinae, απ᾽ ἀρχῆς, i. q. ab eo inde tempore, quo Christus palam prodierat doctor hominum et servator. Aliam quidem commatis secundi interpretandi rationem nuperrime V. Hugius defendit: *Einleitung in die Schriften des N. T. T. II. 2. Auflage, Stuttgart und Tübingen*, 1821. p. 121. ss. Existimat quippe, subintellecto ad verbum παρεδοσαν substantivo διηγησιν, παραδιδοναι h. l. eum dici, qui alteri aliquid adhibendum et possidendum tradat (in manus veluti tradat) eruitque ex his Lucae verbis testimonium, quo palam fiat, quum Lucas commentarium suum litteris consignaturus esset, documenta iam exstitisse evangelica ab iis perscripta, qui inter primos essent Christi discipulos, testesque rerum gestarum oculatos. Sententiam Lucae hac ratione explicat: quandoquidem multi instituerunt, rerum gestarum, de quibus inter nos constat, historiam litteris consignare, *qualem* (scriptam) *ii, qui ab initio testes oculati et administri institutionis fuere, nobis in manus tradiderunt.* Ingenue tamen profiteor, argumenta, quibus Vir eruditissimus necessitatem huius interpretationis evincere studeat, mihi quidem non sufficere. Rationem idoneam desiderari dicit, nisi verba hac ratione intellecta fuerint, quare Lucas consilium suum evangelii scribendi *excusandum ac defendendum* putaverit; siquidem, quum ipse Lucas minister esset evangelii (socius et amicus Pauli), omnino non haberet, quod, institutum suum defensurus, ad exempla των πολλων (qui *praeter testes oculatos* aliquid de historia Christi litteris prodidissent) provocaret, nisi observantia, qua Lucas illos αυτοπτας, eorumque evangelia tum temporis iam edita coleret, aliquam eiusmodi excusationis necessitatem ipsi scripturo attulisset. Quid vero est, quod nos iubeat, quae V. 3. leguntur: εδοξε κἀμοι etc. Verba putare ex-

---

8) Cfr. Wahl clavis N. T. philologica p. 524. Bretschneideri lexicon manuale in libros N. T. T. II. p. 28.

9) Id etiam valet de loco Marci 1, 45. ubi phrasis: διαφημίζειν τὸν λόγον, ad verba antecedentia κηρύσσειν πολλὰ ita refertur, ut λογος haud dubie *narrationem* s. *praedicationem* indicet.

cuſantis ſuum ſcribendi conſilium? illamve των πολλων commemorationem (v. 1.) ſic interpretari, ut Lucas eorum exemplis *defenſionem* ſibi paraturus exiſtimetur? Hoc tantum profitetur, *exempla* multorum ipſum quoque *inpuliſſe* et *excitaſſe*, ut hiſtoriae de Chriſto (quam fieri poſſet, integrae et accuratae) litteris conſignandae manum admoveret. Verbis certe graecis nihil ineſſe video, quo aliam de conſilio huius prooemii ſententiam amplecti iubeamur. Monuit porro Cel. Hugius, demonſtrari non poſſe (quod ii interpretes ſumant, qui verba v. 2. καθως παρεδοσαν etc. ad inſtitutionem ore factam referant) Apoſtolos aliosque teſtes vitae Chriſti oculatos res geſtas ad vitam Servatoris pertinentes, ubi vel Iudaeos vel exteros docerent, *ſermone prolixiori* enarraſſe, immo primos illos evangelii praecones hoc egiſſe (praeeuntibus exemplis Actt. 5, 30. ſq. 10, 38. ſſ. 13, 28. ſſ. 17, 3.), ut res primarias conſpectu breviſſimo exhiberent, quo palam fieret, in Chriſto eventum habuiſſe oracula prophetarum, iisque tanquam fundamento *ipſam Chriſti doctrinam* confeſtim ſuperſtruerent. Verumenimvero neque locis allatis comprobatur, antiquiſſimos evangelii praecones *hiſtoriam* Chriſti eadem brevitate, cuius uſum in Palaeſtina facere potuerint, apud exteros tractaſſe; [10]) neque eiusmodi effata, qualia ſunt 2 Timoth. 2, 1. 2. (καὶ ἃ ἤκουσας παρ᾽ ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων etc.) et 3, 14. 15. (σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης etc.) ita ſe habent, ut de doctrina tantum, neque item de hiſtoria Chriſti ſermone tradita et audita intelligi debeant. Utrumque alteri fuit coniunctiſſimum. Deſiderabant haud dubie permulti eorum, qui neque audierant Chriſtum docentem, neque viderant facta inſignia et benefica edentem, accuratiorem *ſingularum rerum*, quae ad vitam Servatoris virtute, ſapientia, potentia divina inſignem pertinerent, expoſitionem. Quis credat, Apoſtolos eorumque comites, et adiutores non ſatisfeciſſe huic deſiderio, ita ut ſinguli, diverſis locis temporibusque, modo haec modo illa hiſtoriae Chriſti capita, prouti indoles atque ingenium audientium poſtularet, modo brevius, modo prolixius enarrarent? Quum vero horum ſermonum ſenſim ſenſimque aequalitas quaedam et ſimilitudo magna exſtitiſſet, ex ingenio quidem idiomatis hebraico-graeci, ex ipſa animi indole eorum, qui

---

10) Perpendamus omnino, volumine Actorum non omnia contineri, quae primi doctores Chriſtiani unquam docuerint. Saepenumero univerſe tantum praecones illi εὐηγγελίσασθαι dicuntur, ita ut neque argumentum, neque ambitus ſermonum accuratius definiatur, Actt. 8, 4. 12. 25. 35. 40. 11, 20. 14, 7. 21. 15, 35.

primi essent evangelii praecones, et enthusiasmo singulari, quo Servatoris verba, facta, fata *gravissima* non memoriae tantum, sed pectori alte infixerant, ex crebra unius eiusdemque narrationis repetitione oriunda (quanquam nec verbotenus, neque in singulis omnibus rerum narratarum partibus, earumque ordine consentiens); posthac, quae canonica agnoscimus, evangelia ex illis *sermonibus*, tanquam fonte primario, ita prodierunt, ut harmoniam exhiberent discrepantiae multiplici coniunctam [11]). Eadem ratione Lucas ex iis, quae *ore tradidissent* οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, *documenta illa evangelica*, quae (v. 1.) πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι, prodiisse dicit. Ceterum, quo minus illi V. Hugii sententiae calculum addam, inpedit, quod v. 2. ad verbum παρέδοσαν multo facilius ex verbis *proxime antecedentibus* subintelligitur τὰ πράγματα, quam illud remotius διήγησιν. Obscurius certe, quam scribere solet, enuntiasset Lucas sententiam suam, si verba v. 2. eo sensu, quem Hugius amplectitur, posuisset. Denique non probabile est, eo, quo Lucas scriberet, tempore, *si iam in promtu fuissent evangelia ab* αυτοπταις *et* υπηρεταις του λογου *consignata*, alios *multos* (πολλους) *prodiisse, qui idem argumentum scribendo* tractarent.

Hoc igitur propositum suum, spectandis aliorum exemplis excitatum atque confirmatum, declaraturus, „mihi quoque (inquit in apodosi v. 3.) visum est, (ἔδοξε κἀμοί) παρηκολουθηκότι etc. Παρακολουθεῖν, quod proprie de eo valet, qui aliquem tam prope subsequitur, ut eum assequatur (Marci 16, 17.), haud raro apud auctores probatissimos ad animum transfertur, hominem denotans, qui rem quandam intelligendo assequitur (Strabo 1, 5. Kypke observv. ss. ad hunc l.), s. qui aliquid accurate contemplatur, investigat, cognoscere studet, Polyb. 1, 12. Theophr. charactt. sub finem prooemii. Proinde etiam πραγμασι παρηκολουθηκεναι dicuntur, qui res gestas s. continuam quandam rerum gestarum seriem contemplando veluti comitati s. assequuti sunt, sive ipsi rei gestae interfuerint testes oculati (Lucianus ed. Bipont. T. IX. p. 46.) sive, quae locis diversis acciderunt, eminus consideraverint, et, quantum fieri posset, mente fuerint complexi (Demosth. de corona c. 33. p. 362. ed. Harles.) [12]). Simili sensu metaphorico *scriptum* aliquod dicitur παρακολουθεῖν,

---

11) Cfr. quae Gieseler egregie disputavit: *historisch-kritischer Versuch über die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien*, *Leipzig*, 1818. praesertim p. 53. ss.

12) Cfr. quae de hoc loquendi usu ve-

qui illud, tanquam normam, veluti preſſo pede, in ſcribendo ſequitur (Joſephus contra Appionem 1, 23. ex.), itemque *doctrinam*, *diſciplinam*, *exemplum* alicuius παρακολουθειν, qui ſuam cogitandi, ſentiendi, agendi rationem ſecundum hanc normam componit, 1 Timoth. 4, 6. 2 Timoth. 3, 10. In partes diverſas disputatur, quo ſenſu Lucas h. l. verbum uſurpaverit, itemque de vocula πᾶσιν diſſentiunt, utrum ad πραγματα illa πεπληροφορημενα pertineat, an ad illos *ſcriptores* πολλους v. 1. commemoratos, eosve, qui v. 2. dicebantur, tanquam αυτοπται, res geſtas, ad Chriſtum pertinentes, *ſermonibus* tradidiſſe? Prius unice verum eſſe, non tantum ex eo, quem ſupra diximus, uſu phraſeos παρακολουθειν πραγμασιν, ſed etiam ex vocula ἄνωθεν colligimus, et verbis ſequentibus: καθεξῆς σοι γράψαι etc. Nam de illo quidem: ανωθεν adfirmare auſim contra vulgarem lexicographorum ſententiam, (nuperrime tamen a V. Bretſchneidero in lexico manuali in libros N. T. T. I. p. 90. recte in dubium vocatam), *nunquam* ſignificare: *iterum*, *denuo*, ſed ubique, niſi de loco dicatur (deſuper, ſuperne), de quo h. l. ſermo eſſe non poteſt, de *tempore* adhiberi: *olim* ſ. *ab initio* [13]). Itaque, ſi illud πᾶσι vel ad *ſcriptores* πολλους, (v. 1.) vel ad *doctores* v. 2. commemoratos referatur, huiusmodi ſententia prodeat neceſſe eſt: *quum omnes illos ſcriptores* (ſ. *doctores*, υπηρετας λογου), *ab initio inde* (temporis, quo eiusmodi ſcriptores ſ. doctores prodierunt) *perſequutus fuerim* (i. e. cognoſcere ſtuduerim, ſ. accurate exploraverim). Iam vero, quum ſtatim ſequantur verba, haud dubie de illis πραγμασι πεπληροφορημενοις intelligenda: καθεξης σοι γραψαι, atque hoc καθεξης manifeſto reſpondeat illi ανωθεν; praeſtat haud dubie, totum hoc πασιν ανωθεν de iisdem πραγμασι interpretari, quae v. 1. dicebantur conſummata eſſe. Conſulto Lucas vocc. παρηκολουθηκότι ἄνωθεν proxime iungit, voce πᾶσιν *poſt* ἄνωθεν collocanda, quo pateat, illa etiam ſenſu proxime cohaerere: *quum omnes illas res geſtas*, quae inter nos conſummatae ſunt, *contemplando veluti comitatus fuerim* [14]) (cognoſcere ſtuduerim) *ab initio*, ακριβως

---

riſſime et acutiſſime obſervavit Hugius l. l. p. 125. ſſ.

13) Verba quippe Pauli ep. ad Galatas 4, 9. (quibus multi luculentiſſime probari dicunt, ανωθεν interdum eſſe i. q. rurſus, iterum): οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε, absque omni difficultate ſic intelligi poſſunt: quibus iterum (παλιν) ſervire vultis, ita ut *ad initium* (conditionis veſtrae) *redeatis*.

14) Nolim tamen ex his demonſtrare, Lucam *immediate* rebus a Chriſto geſtis interfuiſſe. Cfr. quae ſupra de phraſi: παρηκολουθηκεναι πραγμασιν obſervata ſunt.

quidem, *diligenter* et accurate. Quo iure dixerit, ſe hoc feciſſe *ab initio*, ipſa docet huius evangelii oeconomia. Exorditur enim Lucas narrationem ſuam (c. 1.) non tantum a natalibus Chriſti, ſed etiam ab illo Chriſti proxime proditurі praecone, Ioanne baptiſta, eiusque origine. Inpetrata harum rerum cognitione accurata conſtituerat haec, in uſum Theophili, καθεξῆς γράψαι, i. e. ſecundum ordinem ſ. ſeriem quandam, prouti ſingula ſe invicem excipiebant, litteris mandare (Actt. 11, 4.). Qui ſeriem quandam rerum geſtarum accurate contemplando ſ. cognoſcendo veluti comitatus eſt, *ab initio inde*, eo ipſo aptus etiam redditur atque idoneus ad eiusmodi narrationem litteris mandandam, quae illas καθεξῆς perſequatur. Huic etiam promiſſo ſtetit evangeliſta. Etſi enim lubenter largiamur, de nonnullis dictis factisque Chriſti in evangelio Lucae enarratis dubitari poſſe (praeeuntibus aliorum evangeliſtarum locis parallelis), an ſcriptor ea *hoc ordine et nexu* recte poſuerit, negare tamen non poteſt, qui partes primarias evangelii ab initio ad finem usque perluſtraverit, ſcriptorem noſtrum *univerſe* aliquem tenuiſſe *temporum* ordinem. Quis fuerit ille *Theophilus*, cui Lucas et evangelium et Acta Apoſtolorum (1, 1.) proxime deſtinavit, incertum eſt, etſi diverſae interpretum coniecturae in hac quaeſtione amplius illuſtranda multum elaboraverint [15]). Vitam eum degiſſe extra Palaeſtinam, et inter eos fuiſſe, qui ex paganiſmo ad Chriſtum converterentur, ex ipſo evangelio recte colligimus, quum ſaepenumero obſervationes adſpergat eiusmodi hominibus inſervientes, qui res Iudaicas minus perſpectas habeant, quam cives Iudaei, Palaeſtinam potiſſimum incolentes. Praedicatum vero κρατιστος non ubique viris tantum praecipua muneris dignitate inſignibus tribuitur (Actt. 24, 3. 26, 25.), ſed etiam ita adhibetur, ut ſimpliciter amori, obſervantiae, amicitiae ſignificandae inſerviat, Theophr. charactt. c. 6. Dionyſ. Halic. τεχνη ρητορ. in. Cfr. ſelecta ex ſcholis Valquenarii ad libros quosdam N. T. ed. Waſſenbergh. T. I. p. 14. Sed, quo conſilio Lucas hunc commentarium hiſtoricum Theophilo ſuo miſerit, accuratius ipſe his verbis profitetur (v. 4.) ἵνα ἐπιγνῷς etc. i. q. ἵνα ἐπιγνῷς τὴν ἀσφάλειαν τῶν λόγων, περὶ ὧν κατηχήθης. *Accurate* eum *cognoſcere* vult (haud negligenda eſt interpreti praepoſitio επι in verbo compoſito, cfr. ſelecta e ſcholis Valquenarii etc. T. I. p. 15.) narrationes rerum illarum geſtarum (πραγματων), quae hucusque inſtitu-

15) Cfr. Michaelis *Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes*, 2. Theil (4. *Ausgabe*) p. 1084. *ff.*

tione ore facta ipſi innotuerant. Eodem ſenſu de narratione λογος dicitur Io. 4, 39. cfr. Acta 1, 1. verbumque κατηχεῖσθαι (rariſſime apud profanos obvium), proprie: ſonum quendam accipere, in libris N. T. de iis uſurpatur, qui *audiendo* aliquid cognoſcunt, qui *viva voce* edocentur, Actt. 18, 25. 1 Corr. 14, 19. ad Gal. 6, 6.[16]. Ασφαλεια vero (ex α privat. et medio σφαλλεσθαι: labi, titubare, trepidare, deinde: animo errare, ſ. dubium haeſitare) pariter de fundamento ſtabili et firmo, quod ſecuritatem praeſtat (Ψ. 103, 5. LXX.), atque de ipſa ſtabilitate, firmitate, praeſertim ſecuritate a periculo et hoſtibus dicitur, 1 Theſſall. 5, 13. Quodſi de narrationibus ſermo eſt, haud dubie *veritas indubitata* intelligitur. Xenoph. memorabb. 4, 6. Herodian. 3, 9, 14. Senſus: ut veritatem ſermonum, quos auditione accepiſti, indubitatam cognoſceres. Haec noſter ita profitetur, ut neque falſam eſſe doceat erroribusve mixtam traditionem illam ore factam, quae Theophilo hucusque contigerit, neque illos πολλους (v. 1.), qui iam ſusceperint de rebus Chriſti aliquid litteris conſignare, vel aperte vel tacite reprehendat (id quod haud pauci interpretes ex verbis Lucae arbitrarie magis quam ratione certa et explorata colligunt). Ipſe enim ſupra v. 2. (καθὼς παρέδοσαν etc.) *convenientiam* eorum, quae illi πολλοι ſcribere inſtituerint, cum iis, quae ore expoſuerint, qui teſtes oculati fuiſſent rerum ad Chriſtum ſpectantium, haud obſcure indicaverat. Neque exiſtimari poteſt Lucas de fide hiſtorica horum Chriſti Apoſtolorum et familiarium dubitari voluiſſe. Adfirmat tantum, ſe iam conſtituiſſe exempla ſequi aliorum, qui aliquid de Chriſto litteris mandaſſent, ita quidem, ut partim, diligenter (ακριβως) perluſtrata tota illorum πραγματων ſerie continua, narrationem magis integram in uſum Theophili exhiberet (commentarium pleniorem, ad ipſum hiſtoriae de Chriſto initium redeuntem, ανωθεν), partim confirmaret Theophilo veritatem indubitatam eorum, quae hucusque auditione accepiſſet. Ignoramus, qui fuerint illi doctores Chriſtiani, quorum inſtitutione *Theophilus* inbueretur. Quodſi neque apoſtoli fuerunt hominesve ex numero ſeptuaginta legatorum (αυτοπται et υπηρεται του λογου), neque diſcipuli ipſorum apoſtolorum (viri apoſtolici), ſed alii, per diſcipulos illorum edocti; poterat utique Theophilo optabile videri, ut Lucae (viri apoſtolici) teſtimonium ſcriptum ipſi

16) Locus ep. ad Romm. 2, 8. minime aliam efflagitat huius verbi interpretationem, ſiquidem κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου recte etiam dici poterat, qui inſtitutionem *ore factam*, legi Moſaicae ſcriptae accommodatam, acciperet.

confirmaret et ſtabiliret, quae hucusque ex ore eiusmodi praeconum vitae Chriſti accepiſſet. Atque omnino *ſola traditio ore facta* propterea non ſufficere videbatur, quod *temporis ſucceſſu*, ab uno ad alterum transeundo, facile poſſet depravari.

Complectamur paucis, quae de ſingulis huius prooemii partibus obſervata ſunt, hac verſione totius loci latina: *quandoquidem multi manum admoverunt adornandae narrationi rerum inter nos conſummatarum, prouti* (eas) *nobis tradiderunt, qui ab initio teſtes* (earum) *oculati fuerunt et miniſtri doctrinae; mihi etiam viſum eſt a principio inde omnes illas* (res geſtas) *diligenter perſequuto, deinceps in uſum Tuum, optime Theophile, litteris* (eas) *conſignare, ut veritatem ſermonum, quos auditione accepiſti, indubitatam cognoſceres.* Ipſa vero totius prooemii interpretatio docuit, uſum eius recte fieri ad haec probanda:

1) *Teſtes oculati vitae terreſtris Ieſu Chriſti, et primi evangelii praecones* (Apoſtoli eorumque diſcipuli et adiutores) *hiſtoriam Chriſti ſermonibus ſuis propagaverunt.* V. 2. Haec fuit antiquiſſima evangelii cognoſcendi ratio.

2) *Ex his ſermonibus documenta prodierunt evangelica, qualia multi, priusquam Lucas ſcriberet, litteris conſignaverant.* V. 1. Vidimus quippe, illud: ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν ſcriptionem potius indicare, quam narrationem ore traditam. Accedit, quod Lucas verbis v. 3. ἔδοξε κἀμοὶ etc. ſatis perſpicue ſemet ipſum, qui *ſcripturus eſſet*, aliis adiungebat, qui ante ipſum idem inſtituiſſent. Apparetque, hac ratione probata, egregius ſingulorum huius periodi membrorum parallelismus (in eiusmodi periodo, eleganter ſtructa, qualem h. l. legimus, interpreti haud negligendus), ut prior pars apodoſeos (v. 3. ubi Lucas ad ſuum *ſcribendi* conſilium progreditur) priori protaſeos parti v. 1. *ſcriptores* πολλους, qui ante ipſum exſtiterint, commemoranti, itemque pars apodoſeos poſterior v. 4., quae de *ſermonibus* dicit, quibus Theophilus hucusque inſtitutus fuerit, parti poſteriori protaſeos ad *ſermones* provocanti, ex quibus documenta illa των πολλων oriunda ſint, concinne reſpondeat.

3) *Illa autem, quae οι πολλοι litteris conſignaverant, non integra fuerunt evangelia, ſed breviora tantum documenta, quae vel ſingulas hiſtoriae Chriſti partes* (fragmenta) *paucis complecterentur, vel brevem totius Chriſti vitae conſpectum ita exhiberent, ut in rebus primariis acquieſcerent.* Etenim, ut taceam, eo tempore, diſceſſum Chriſti ex his terris proxime inſequuto, quo neque apoſtoli, neque viri apoſtolici deeſſent, *viva voce* res geſtas, ſermones, fata Chriſti

enarrantes, parum probabiliter *multos* prodiisse existimari, qui commentarios ampliores scriberent; ipse Lucas v. 3. consilium suum professus est, tota illa πραγματων πεπληροφορημενων serie ανωθεν (ab initio inde) accurate perlustrata, historiam *uberiorem* exhibendi.

4) *Quae canone nostro, praeter Lucae commentarium, continentur evangelia, Matthaei potissimum et Ioannis, testium oculatorum, vel nondum omnino prodierant, priusquam Lucas scriberet, vel nostro certe scriptori, quum se accingeret ad evangelium litteris consignandum, non innotuerant.* Quanquam Lucas non aperte docuit, ex numero eorum, qui, tanquam αυτοπται et υπηρεται του λογου historiam Christi ore tradiderint, scriptores illos πολλους (v. 1.) eximendos esse; verba tamen v. 1. ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν et v. 2. παρέδοσαν ἡμῖν etc. ita apparent distincta, ut facile nobis persuadeamus, πολλους illos (v. 1.) non eosdem esse, qui v. 2. αυτοπται et υπηρεται appellentur. Nec probabile est, Lucam, si commentarios Matthaei et Ioannis cognovisset, utrumque communi nomine πολλων comprehendi voluisse, mentione nulla evangeliorum ab apostolis exhibitorum iniecta, praesertim, quum uterque historiam Christi *uberiorem* exhiberet. Uterque ανωθεν exorsus est, Matthaeus quidem natalibus Christi enarrandis, Ioannes vero ad λογον, qui προς θεον fuerit, redeundo, et testimonio repetito, quo Ioannes baptista vitam Christi publicam praeparaverat, accuratius commemorando. Lucam vero de illis πολλοις ita loquentem audimus (v. 1. 3.), tanquam si ipse *primus* fuerit, qui historiam illam ανωθεν repeteret [17]). Facilius concederetur, verba prooemii permittere, ut brevius illud *Marci* evangelium scriptori nostro cognitum fuisse putemus, nisi argumenta gravissima, quae Griesbachius et Paulus singulari acumine il-

17) His disputandis negare nolumus, fieri potuisse, ut Lucas, postquam maiorem evangelii partem litteris consignasset, evangelium Matthaei in Palaestina cognosceret, eiusque usum quendam faceret, nonnullis commentarii scripti partibus quodammodo retractandis. Cfr. commentatio V. Theilii: *neues kritisches Journal der theologischen Litteratur, von Winer und Engelhard, 5. B. 4. St. p. 400 ff.* Hoc tantum, opinor, demonstrat tota prooemii indoles, evangelistam, quum ipsam commentarii sui consignationem adgrederetur, collectis omnibus, quae hanc ad rem necessaria esse viderentur, evangelium Matthaei neque cognitum habuisse, neque usurpasse. Si *posthac* Matthaei aliquam rationem habuisse existimetur, id non potest nisi de singulis quibusdam evangelii sectionibus intelligi. Alioquin, si novam *totius* evangelii recensionem secundum Matthaeum instituisset, haud dubie ipsa praefatio mentionem Matthaei inieci sset.

luſtrarunt, ostenderent, non Lucam ex Marco, ſed hunc ex illo, multa petiiſſe.

5) *Non diſerte quidem profitetur Lucas, quem uſum documentorum illorum brevium* (v. 1.) *ipſe fecerit in conſignando ſuo evangelio.* (Verba quippe v. 3. παρηκολουθηκότι πᾶσιν ad πραγματα rectius referri, quam ad ſcriptores illos, ſupra vidimus.) *Attamen, quum ſatis aperte indicaverit, innotuiſſe ſibi* πολλους, *qui aliquid de hiſtoria Chriſti litteris prodidiſſent, nemo facile exiſtimabit, evangeliſtam noſtrum, qui omnia, quae ad hiſtoriam Chriſti pertinerent, accurate perſequeretur* (v. 3.) *eiusmodi documenta ſcripta, ex ſermonibus* αυτοπτων *et* υπηρετων του λογου *oriunda, neglexiſſe.* Alia indicia, in ipſo libro obvia, quae monſtrent, non tantum, quae ore tradita accepiſſet, ſed etiam ſcripta ipſi inſerviiſſe evangelium conſignaturo, amplius perſequi non huius eſt loci atque temporis.